

PIAE FACVLTATES.

MAGISTRATVS

CVRATORVM VIARVM, AEDIFICIORVMQVE' PVBLICORVM, ET PRIVATORVM ALMAE VRBIS,

à S. D. N. Pio Papa IIII.
concessae.

Cum altera Bulla Erectionis Ciuitatis
PIAE, hìc anteposita.

*In Paragraphos, per M. Ant. Bardũ Seneñ. I. V. D. diuisae,
vt aliae eiusdem Magistratus aliorum Pontif. Faculta-
tes; ac cum Summarijs & Apostillis.*

Cum concordantijs etiam in Tractatu Iuris Protomiscos,
aliàs per eundem Bardum in
lucem emisso.





ROMAE, Apud Antonium Bladum Impressorem
Cameralem, Anno Dñi M. D. L X V.

MARCVS ANTONIVS BARDVS SENENSIS
LECTORI.

Vbi concordantiæ cum suo Tractatu Iuris
Protomiseos notantur.
.S.



VM Iuris Protomiseos Tractatus ad interpretationem Literarum Apostol. cum Magistratus Aedilium Curul. Curatorumque Viarũ Vrbis Facultatibus superioribus mensibus à me in publicũ prodierit, nec tũc eæ Piæ Facultates à S. D. N. Pio traditæ, sed in spe traditurae essēt, easquè in lucem emittere pollicitus sui: Nunc uerò ipsarum exemplar in paragraphos, pariter diuisum (ut cæteræ facultates, ac ut in parte promissa seruem) & eas cum Summarijs, ac Apostillis tibi trado. Verùm, ne tu quasdam in eodem Tractatu conscriptas Sententias admireris, aliquas cõcordantias illius Bullæ eundē Magistratũ cõcernentis, hic cũ locorum citatione referã, ob quas quædã Quæstiones cõprobatæ apparent, & in Bulla ultimo loco hic registrata cõscribuntur.

Inprimis enim Pontifex in eadem Bulla, in .§. ij. intimationem, seù requisitionem, uel denunciationem necessariò faciendam non ponit, nec maius quàm Anni spacium, ad tale Ius Protomis. præscribendum, à die non exactæ, & particularis, sed generalis scientiæ cõputandum, esse intendit; uolens (ne Decor Vrbis retardetur) talem illius Bullæ Sixtinæ intellectum ab omnibus seruari debere, ideoquè difficultates quæ quandoquè ex sinistra interpretatione oriri possent (contra eius mentē) amouendas esse: Quare disponit ut in dicto .§. ij. continetur: Et ita ego eandem sententiam signanter post dictæ Bul. Six. interpretationem, in eodem Tract. Iuris Protomis. in Quæstione sexta, post aliquas digladiationes, annotaui.

In eodem .§. iij. Pontifex uicinum cum inquilino concurrentem præferendum esse uult. Quod cum sæpè idem in dubium uerteretur, breuissimè in codẽ Tractatu, post .§. finalẽ eiusdẽ Bullæ, in Quest. Nona, Respõdi inquilinũ in tali emptionis prælatione allucinatũ esse.

In .§. iiij Pontifex interpretationem faciendam de similibus lite ris Apostol. ita fieri debere ait, ut semper ornamentum publicum re spiciant, easquè fauorabiles esse, non autem odiosas, ac casus in eis po tius esse compræhensos, quàm extensos. Et hoc idem easdem literas simili interpretatione post multorum congressum, fauendas esse dixi; ut de casus compræhensione recitaui in .§. Vii. illius Tractatus, in primo Not. num. 2. Et de fauore similiter in eodem. § . sub eodem num. 2. ac de ornatu publico, in eodem Not. num. 4. & alijs locis.

In .§. xi. Pecunias bonorum sub fideicommisso existentium uici nis adiudicatorum, in alijs bonis reinuestiendas, ac eidem fideicommis so eisdem modo, & forma, Pontifex paratas esse declarat; quasi eadem bona in uim Bullarum alienari possint. Et post altercationes, ego in .§. iiij. eiusdem Tractatus, in Not. iii. num. 8. & seq. eadẽ bona sub dictis literis compræhensa esse conscripsi.

In .§. xiiii. Pont. extendit literas ad Casalia, in quibus ædifica retur, ac ubi quædam adesset incorporatio cum altero conuicino Casa li, quasi secus sit si conditiones prædictæ non forent adhibitæ. Ego cum sub Iudice lis esse uideretur, post §. finalem, in Quæstione 17. post uarias sententias, & præter eiusdem Bullæ Sixtinæ uerba, idẽ firmaui, ac ad Casalia non extendi, retuli.

Aliæquè adsunt, quas tu Doctiss. Lector uidere poteris (cõtrari us uerò, ut uideo) nullas, & eas, ac cætera Capita nõ dictã Sixtinã cla riorẽ reddetiã, sed quæ nouiter statuta, & ab eodẽ PIO ordinata inuenietur, nouosquè etiã casus corã eodẽ Magistratu in dies occurren tes diffusius (Deo fauente) in altera illius Tractatus editione referã, & tractabo; Tu interim ualeas, ac me ex corde diligas.

BVLLA ERECTIONIS CIVITATIS PIAE, PROPE' ARCEM S. ANGELI, AC GRATIARVM IN EA AEDIFICANTIBUS CONCESSARUM.

SVMMARIVM BVLLAE

In .§.1. Naratiua præsentis Bullæ.

In .§.2. Erectio Ciuitatis Piæ, inter Leonicinæ Ciuitatis mœnia directæ, & de Pij Papæ Quarti nomine nuncupatæ.

In .§.3. Transpontium Ecclesiæ, Ordinis Carmelitanj, de Ciuitatis Leoninæ loco in Piã Ciuitatẽ translatio, cum eisdem titulo, fratribus, Cappellis, officijs, Beneficijs, animarũ cura, Indulgẽtijs, & alijs priuilegijs.

Nouæ Indulgentiæ in noua Ecclesia in Dñi nostri, ac Beatæ Mariæ festiuitatibus per decennium, & diebus dominicis in veteri non dum diruta, seu post demolitionem in dicta noua Ecclesia per triennium.

In .§.4. Situs pro eiusdem Ecclesiæ constructione, arbitrio dictæ Ciuitatis Præfecti, & Magistrorum viarum assignandus.

Pecuniæ Priori, & fratribus eiusdem Ecclesiæ pro damnorum passorum satisfactione erogatæ sunt, cũ situs antiqui post diruptionẽ profanatione.

Viæ, ac ædificia, arbitrio præfatorum construenda, fonsque in medio, ac ludus literarius ad pueros edocendos erigi iubetur.

In .§.5. Priuilegia ædificantibus in eadem Ciuitate conceduntur.

Personæ Ecclesiasticæ pro ea quantitate qua ibidem ædificauerint, de eisdẽ ædificijs, ac totidem de alijs bonis, etiam si sub nomine spoliorum, & vbiq; fuerint, disponere & testari ad libitum possunt.

Layci similiter ibidem ædificantes officia venalia pro concurrenti quãtitate fabricata resignare possunt, si per xx. dies superuixerint.

Regulares de domibus in eodem loco constructis, iuxtà priuilegia Montis, fidei, ad libitum dispõãt, etiam incapacibus relinquendo.

Pecuniæ Ecclesiarum, & piorum locorum penès aliquem depositatæ, ad effectum inuestiendi, si eos in fabricatione exponantur, in euidentem dictorum locorum vtilitatem esse intelliguntur.

Layci ac Clerici coniugati pensiones super fructibus Beneficiorum pro rata scutorũ x. pro centenario per eos in fabricando retinere, & in mortis articulo (vt Milites SS. Petri, & Pauli, ac Pij) in alios trãsferre valeant.

Mulieres impudicæ, & curiales ad minus pro scutis quingentis ædificantes, de eisdẽm alijsq; bonis vbiq; existentibus, etiam ex turpi quæstu acquisitis, & acquirendis disponant, nec quicquam Conuertitarum Monasterio relinquere teneantur, sed etiam ab intestato ad earum hæredes perueniant.

Aedificia per ædificantes dominos constructa, ex quouis crimine non cõfiscantur, hæresis, læsæquè Maiestatis crimine tantummodo excepto.

In .§.6. Census vnius Iulii pro canna situs, infra annum dominis fundorũ ab ædificare volentibus soluendus, nisi iidem domini in eorum situ intra trimestre ædificare ceperint, & de conductorum à solutione primi semestris liberatione, & ipsorum affrancatione.

In .§.7.

In .§.7. AEdificantes in eadem Ciuitate habent Ius congrui, & prælationis ad partes Transtyberim, in viridariorum & terrenorum venditionibus, etsi vicini non sint.

In .§.8. Guberniũ Ciuitatis Piæ penès Leoninæ Ciuitatis Præfectum existat, Præfectusq; & Capitaneus vtriusq; denominetur.

In .§.9. Ad DD. Cardinalem Camerarium, ac eiusdem Ciuitatis Præfectum, & ad Viarum Magistros prædictorum executio, ac obseruatio pertinet, pariterquè dubiorum declaratio, & temporum hic descriptorum moderatio.

In .§.10. Clausulæ, & omnia que Pontifex prædictis voluit non obstare.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.



OMANVM decet Pontificem Almam Vrbem in qua iussu Dei per Vicarium suum Beatum Petrum Apostolorum Principem, Sedes Apostolica ad omnium Christifidelium commoditatem, ac Religionis augumẽtum immobilis constituta, & copioso, tùm eiusdem principis tùm exuberantius illius gloriosi vasis electionis, quo Apostoli sui, innumerabiliumq; Christi martyrũ Sanctissimorũ sanguine Domino suo consecrata existit, nimirum vt Ecclesiæ caput in ea potissimum Ciuitate foret, quæ principatum Orbis iam pridem sibi vendicasset, & ad quam, tanq̃ supremam orbis Christiani metropolim, cõmunemq; mortalium omniũ Patriam, & altricem, magnus vndequaq; Populi fit concursus; non solùm iustitia, pietateq; moderati, sed etiam eius Pomerio ad populum ibi quotidie, Domino benedicẽte, nõ mediocriter augescentem recipiendum dilatato nouis subindè vicorum, regionumq; additamentis ampliare.

Primus .§. CVPIENTES igitur vestigiis fœ. rec. Leonis Papæ IIII. prædecessoris nostri, qui Suburbium, quod Burgum Sancti Petri vocant, antea per piæ memoriæ Nicolaum III. & alios plerosq; Romanos Pontifices etiam prædecessores nostros, iuxtà præfati Principis Apostolorum Basilicam ad Curialium commoditatem institutam nõ mediocriter ornauit, & ampliauit, illudq; suo de nomine Ciuitatẽ Leoninã appellauit, inhærendo; pro ipsius vrbis decore, & ampliatione nouam apud idem suburbiũ Ciuitatem construere, populumq; quo libentius ad eam inhabitandam, nouisq; ædificiis replendam se conferat, & in ea cum omni tranquillitate, & commoditate, aerisq; salubritate degere possit, paternis fauoribus, & gratiis inuitare; post varia, que in vaticano, dictaq; Leonina Ciuitate fœliciter opera nostra iampridem consurgere noscũtur ædificia.

Secundus .§. Erectio Ciuitatis. MOTV proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnipotentis Dei gratia per nos imprimis ad hoc supplicibus votis implorata, ad eius laudẽ, & gloriam; tractum illum inter vetera Leoninæ Ciuitatis mœnia, & muros, propugnaculaq; ab arce Sancti Angeli ad Palatium Apostolicum per nos nuper excitata interiacentem, quem etiam, ne eius incolis repentinæ Tyberis inundationes, aerisq; intemperies obesse possit, suggesta passim humo; in

ri aitum eleuari, Cloacisq; ad sordes eleuandas aptis locis fulciri mandaui mus, in Ciuitatem Piam similiter de nomine nostro nuncupandam auctori tate Apostolica tenore præsentium perpetuò erigimus, & instituimus. E T quoniam omne principium ab ipso Deo summo rerum opifice, Ciuitatúq; omnium præside, atq; custode, necnon Beata, & gloriosa semperq; virgine Dei genitrice Maria, par est auspicari; Conuentum eiusdem Beatæ Mariæ Transpontium nũcupatæ, ordinis ipsius Sanctæ Mariæ de mõte Carmelo, qui in dicta Ciuitate Leonina olim constructus reperitur, & quem pro for tificatione, struendisq; aggeribus Arcis nostræ Sancti Angeli, & aliàs ad publicam vtilitatem dirui & solo æquari expedit: cum suis Ecclesia titul-, denominatione, fratribus, & personis, Capellis, Capellaniis, Altaribus, officijs, & beneficijs, necnon cura animarum illi imminente, fonte b. p. tismali, Sanctorumq; reliquijs, & indulgentijs in ea existentibus, ac fructi bus, redditibus, prouentibus, iuribus, fundationibus, censibus, rel̃ ctis, & priuilegijs vniuersis; ad eandem Ciuitatem Piam eisdem auctoritate, & tenore transferimus; Ita vt dilecti filij Prior, & fratres illius in eadem Ciui tate Pia similẽ curam animarum habitatorumq; ibi pro tempore degẽtium cum omnibus honoribus, & oneribus parrochialibus, Ecclesijs debitis, so litis, & consuetis, habeant, & exerceant dictiq; habitatores Ecclesiam, Con uentus translati huiusmodi pro sua parrochiali nanciscantur, & recogno scant, parrochiamq; dictæ Ecclesiæ existant, & nuncupentur. Ac ijdem Prior, & fratres omnibus, & singulis gratijs, fauoribus, exemptionibus, & libertatibus, priuilegijs, & indultis, quibus alij dictæ Ciuitatis Piæ incolæ, & habitatores vtentur, & quomodolibet gaudebunt, similiter vti, & gau dere possint. Et insuper, vt deuotio non solùm dictorum incolarum, sed etiam totius populi Romani ad dictã Ecclesiam visitandam, & frequentan dam augeatur; vltrà alias indulgentias, & gratias spirituales illi hactenus concessas, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum suorum prædictorum auctoritate confisi; Vniuersis, & singu lis vtriusq; sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, seu statu tis à Iure temporibus confitendi propositum habentibus, qui infrà decen nium proximè futurum annuatim dictam Ecclesiam in singulis Domini no stri Iesu Christi, ac eiusdem gloriosissimæ Virginis Matris festiuitatibus, ac etiam qui infrà Triennium proximum singulis Dominicis diebus antiquã præfatam nõdum dirutã, seu post eius demolitionem nouiter construendã, Ecclesias predictas deuotè visitauerint, & orationem dominicam, ac saluta tionem Angelicam ibi ter recitauerint, quoties id fecerint, toties plenariam omniũ peccatorum suorum remissionem misericorditer in domino conce dimus, & elargimur in forma Ecclesiæ consueta. E T insuper pro Conuen tu, eiusq; Ecclesia de nouo fundandis, & construendis, aream, situmq; cõ uenientem arbitrio dilectorum filiorum nobilis viri Gabrij Serbelloni, di cti Burgi, & militum nostrorum prætorianorum Præfecti, nostri secundũ carnem fratris consobrini, & Horatij Nari, ac Hieronymi de Pichis Nobi lium Romanorũ modernorũ & pro tempore existentiũ ipsius Vrbis Ma gistrorum viarum, assignari volumus, atq; mandamus. Quibus etiam Prio ri, & Fratribus pro satisfactione damnorum demolitionis Ecclesiæ bis mil le scuta solui, & numerari iussimus. Antiquum autem Conuentus, & Ec clesiæ præfatorum situm, cum primũ dicta Ecclesia diruta fuerit, ex nunc, prout ex tunc prophanamus, & pro area, ac propugnaculis dictæ Arcis ad prophanos

Tertius. §. Translatio Eccles. Transpontium, cum suis pertinentiis & priuilegiis, ac nouis indulgentiis.

Quartus. §. Situs assignandus pro noua Eccles. cũ viis, ædificiis, fonte, ludoq; literario, & situs antiquæ Ecclesiæ profanatione.

prophanos vſus reducimus , & conuertimus;vias autem , ac domos , Pa
latia , cæteraq; ædificia ſolita dictæ Ciuitatis P æ in planicie æquali, quo
ad primum ſolare , ac altitudinem ſtillicidij grundarum tecti vulgariter
nuncupati , frigoris , æſtusq; defendendi gratia , eodem pariter arbitrio
conſtrui , & fabricari ; ac ad publicam dictorum incolarum,& habitantiũ
vtilitatem , & refrigerium ex Palatio Apoſtolico deſtinatis , vel alijs com-
modioribus aquis , fontem in medio dictæ Ciuitatis excitari ; Ludumq; li
terarium, ſeu Scholam publicam pro pueris , & adoleſcentibus gratis edo-
cendis ſimiliter inſtitui , & aperiri; Magiſtroq;,& Præceptori , qui literis,&
bonis moribus eos inſtruat,de honeſto ſalario ex prouentibus Gabellæ Stu-
dij Almæ Vrbis aſſumendo, prouideri ſtatuimus , & ordinamus . ET vt
promptius , & alacrius ad ædificandum omnes cuiuſu s gradus , & condi
tionis alliciantur , & inuitentur; quibuſcumq; perſonis Eccleſiaſticis, etiam
quacunq; dignitate fungentibus , vt pro ea quantitate , qua ibi ædificaue-
rint, de rebus , & bonis ſuis quibuſcunq; in vrbe , & alibi vbicunq; loco
rum conſiſtentibus,etiam quæ ſub nomine ſpoliorum Cameræ Apoſtolicæ
debitorum comprehenduntur, vltra ædificia præfata teſtari, & aliàs diſpo
nere . Necnon ipſis in infirmitate conſtitutis, ac etiam laycis , vt præfer
tur , ædificantibus , etiã in Alma Vrbe,& Romana Curia præſentibus(dũ
modo per viginti dies ſupuixerint) quæcunq; venalia dictæ Curiæ officia,
etiam per procuratorem pro concurrenti factãrum à ſe fabricarum huiuſ-
modi reſignare , ac cedere, & reſignationes huiuſmodi omninò admitti de
bere , & admiſſas cenſeri per ſimplicem conſenſum deſuper præſtandum ,
ac ſuum plenarium effectũ ſortiri; Regularibus vero , vt domos per ipſos
in dicta Ciuitate conſtructas perſonis etiam incapacibus , iuxtà priuilegia
Montis Fidei de Vrbe,& quæ dilectis filijs illius Portionariis,montiſtis nun
cupatis concesſa ſunt , ſimiliter conceſſa ſint , & eſſe intelligantur etiam
inter viuos , & cauſa mortis donare , & relinquere , ac alias de illis diſpo-
nere . Eccleſiis verò , & locis piis quibuſcunq; , quæ penès quãcunq; ido
neam perſonam, aut ædem ſacram , & in quocunq; loco pecunias ad effe
ctum illas in emptionem aliorum bonorum ſtabilium , in euidentẽ vtilita
tem conuertendi depoſitas tenent , vel in futurum tenebunt , illas in do-
morum in dicta Ciuitate Pia ædificationem exponere ; quæ ſic expoſitæ in
euidentem vtilitatem ipſarum Eccleſiarum , & locorum piorum ceſſiſſe,&
cedere cenſeantur, ac laycis , etiam coniugatis , & clericis in ipſa Ciuitate
Pia ædificantibus, ꝙ penſiones ſuper Beneficiorũ Eccleſiaſticorum fructi
bus,redditibus,& prouen. ſibi aſſignatas ad ratã decem ſcutorum pro quo
libet centenario per eos in fabricando pro tempore expenſo recipere , reti
nere , & percipere , ac illas in quaſuis pſonas etiam in mortis articulo , &
put eorundem Sanctorum Petri , & Pauli , ac Pii nuncupati milites , iuxtà
priuilegia per nos , & prædeceſſores noſtros ſibi conceſſa , formamq; eis
traditam , etiam abſq; conſenſu , dicta beneficia obtinentium deſuper ha-
bẽdo , pariformiter transferre . Ita quod priuilegia eadem ſic ædificanti-
bus,laycis , etiam clericis, etiam Prælatis, & Religioſis conceſſa, ei cõmu-
nicata cenſeantur . Impudicæ verò , quas Curiales vulgus appellat ,& aliæ
inhoneſtæ mulieres,quæ in dicta Ciuitate Pia adminus pro ſcutis Quingen
tis ædificauerint , tàm de ſuis ædificiis huiuſmodi , ꝙ aliis earũ bonis quo
modocunq; etiam ex turpi quæſtu acquiſitis , & acquirendis , ſimiliter te-
ſtari , & diſponere liberè , & licitè valeant ; nec tales mulieres teſtatæ , vel
ab

Quintus .§.

Priuilegia ædificantibus in eadem Ciuitate conceduntur.

ab intestato decedentes, aliquam partem Monasterio Conuertitarum de vrbe(iuxtà dispositionem Leonis X.ac recolendæ memoriæ Clementis VII. & Pauli III. Roma ñ. Pontificum etiam prædecessorumnostrorum, & eorum priuilegia)debitã relinquere teneantur, sed dicta earum bona liberè, & integraliter tam ex testamento, q̃ ab intestato ad earum hæredes peruenire debeant. Quodq; domus, & ædificia quæcunq; per quosuis in dicta Ciuitate Pia pro tempore constructa, ex quocunq; crimine, & delicto præterq̃ hæresis, & læsæ maiestatis confiscari non possint, ad instar priuilegiorum Montis fidei; sed eorum dominis, & successoribus suis, perinde ac si delicta non commisissent, perpetuò firma, & illæsa remanere debeant, eisdem auctoritate, & tenore perpetuò cõcedimus, & indulgemus. Et præterea tales impudicas mulieres à solutione soliti meretricũ tributi prorsus absoluimus, & liberamus. CAETERVM ne in ipsa Ciuitate Pia ædificare volentes à fundorum dominis vllo modo retrahantur, etiã perpetuò statuimus, & ordinamus; q̃ intrà Annum à data præsentium computandum, in quouis Ciuitatis Piæ loco ædificare volentibus, domini fundi, si ipsi ædificare noluerint, seu se ædificare velle dicentes, nisi infrà Trimestre ædificare cœperint, fundum huiusmodi pro annuo censu perpetuò ad rationem vnius iulij pro qualibet canna dare, & locare teneantur, & ad id compelli possint, & debeant; ipsiq; Conductores, siue censuarij à solutione primi semestris omninò liberi, & exẽpti sint, & esse intelligãtur. Quodq; tam fundorum domini, q̃ Cõductores, & censuarij infra sex menses à data præsentium à die locationis respectiuè computandos, fabricas huiusmod omninò inchoare, & in fundo centum Cannarum, Conductores mille, fundi verò domini quingentorum Scutorum summas in fabricam exponere, & ita proportionabiliter ædificare volentes, tam domini soli, q̃ conductores, pro situs quantitate, & ad ratam huiusmodi fabricare teneantur. Conductores autem præfati, eorumq; hæredes, & successores, quandocunq; sibi placuerit, eosdem fundos, etiã ad Ecclesias, Hospitalia, vel alia quæcunq; loca pia quomodolibet pertinentes, iuxta facultates sanctæ memoriæ Sixti IIII. & Alexandri VI. & Leonis X. etiam Romañ. Pontificum prædecessorum nostrorum, aucta decima parte Census, affrancare, & se ab huiusmodi censu liberare, ac totaliter eximere valeant. PRAETEREA qui in Ciuitate Piæ ædificauerint in venditionibus viridariorũ, vinearum, & terrenorum in partibus Transtyberim existentium, quoquomodo pro tempore faciendis, alijs, qui in dicta Ciuitate Pia non ædificauerint, etiam si vicini rerum, bonorum venalium huiusmodi existant, omninò, arbitrio tamen præfato, præferri possint, & debeant; prout, & quemadmodum si ius congrui, seu prothomiseos ratione vicinitatis, cõmunionis, vel aliàs quomodocunq; haberent, in quibus etiam qui plus ædificauerit, cæteris præferatur. PORRO' dictã Ciuitatẽ Piam postq̃ constructa, & ædificata fuerit, etiã ex nunc prout ex tunc, regimini, administrationi, gubernio, & Iurisdictioni eiusdem moderni, & pro tempore existentis Præfecti, ad instar ipsius Ciuitatis Leoninæ, æque principaliter, & sine aliqua differẽtia subijcimus; eandemq; omnibus, & singulis priuilegijs, honoribus, fauoribus, gratijs, & facultatibus, necnon statutis, & consuetudinibus, quibus dicta Ciuitas Leonina vtitur, potitur, & gaudet, vti, potiri, & gaudere similiter æque principaliter posse dictũq; Præfectum pro tempore existentem vtriusq; Ciuitatis Leoninæ, videlicet atq; Piæ Capitaneum, seu Præfectum Principaliter

Sextus. §.
Cẽsus à conductoribus ædificantibus, ac fũdorum dñis qualiter soluendus, & quomodo liberetur.

Septimus. §.
AEdificantes in eadem Ciuitate quo in loco Ius congrui & prælationis habeat, etsi vicini non fuerint?

Octauus. §.
Gubernatoris dictæ Ciuitatis deputatio.

Nonus §.

Obseruatio præsentiũ literarũ per quos fieri, res dubiæ declarari, ac omnia moderari debeant?

ter denominari, & describi debere volumus. DILECTO filio Vitellotio Sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali Vitellio nuncupato, moderno, & pro tempore existenti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario nec non eisdem modernis, & pro tempore existentibus Præfecto, & viarum Magistris; Motu proprio, & ex certa scientia districtè præcipiendo mandantes, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcunq;, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte alicuius prædictorũ fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac conductoribus, & ædificantibus, eorumq; hæredibus, & successoribus, ac omnibus, & singulis alijs suprà nominatis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas, & omnia in eis contenta ab omnibus, etiam sub pœnis eorum arbitrio imponendis, & applicandis firmiter, & inuiolabiliter obseruari; illasq; debitæ executioni demandari procurent. Nos enim illis, & eorum cuilibet omnia, & singula præmissa faciendi, & exeqnendi, & quæ in eis dubia inciderint, declarandi, & interpretandi, ac tempus, & tempora in præmissis prorogandi, & moderandi, cæteraq; in his, & circa ea necessaria, & opportuna gerendi, plenam liberam, & omnimodam facultatem, & potestatem concedimus per præsentes. Necnon omnia, & singula præmissa valida, & efficacia existere, suosq; plenarios, & integros effectus sortiri, & inuiolabiliter obseruari, ac singulis supradictis suffragari; sicq; in omnibus, & singulis præmissis per Camerarium præfatum, & dilectos filios dictæ Cameræ Præsidentes, & Clericos, ac quoscunq; Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate Iudicari, & diffiniri debere, ac quicquid secus super his àquoq̃quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attemptari contigerit, irritum, & inane decernimus.

Vltimus §.

Clausulæ, et omnia non obstantia.

NON obstantibus præmissis, ac quibusuis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Cameræ Vrbis, & Basilicæ prædictorum, & aliarũ Ecclesiarum, ac Monasteriorum, & ordinum quorumcunq;. Necnon quibusuis alijs Iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoq;, indultis, & literis apostolicis, illis, eorumq; Superioribus, Magistratibus, ac etiam dilectis filijs Populo Romano, sub quibusuis tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiã derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam motu, & sciẽtia similibus, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, etiam per nos, etiam consistorialiter, & aliàs quòlibet concessis, ac etiam pluries approbatis, & Innouatis. Quibus omnibus etiam pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus spẽlis, specifica, indiuidua, & expressa (non autem per clausulas generales idem importantes) mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter insertis, & expressis habentes; illis aliàs in suo robore permãsuris; hac vice dumtaxat specialiter, & expressè pari motu derogamus; Cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, translationis, elargitionis, prophanationis, reductionis, conuersionis, ordinationis, concessionis, absolutio

nis

nis, liberationis, subiectionis, mandati, præcepti, indulti, statuti, decreti, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, Indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum, Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurũ. Dat. Romæ apud Sanctum Marcũ, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Sexagesimo quinto, decimo kl. Septembris. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

ANNO à Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo Quinto, indictione octaua, Die verò Quinta Decebris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Pij Diuina prouidentia Papæ IIII. Anno Sexto, Retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorũ de vrbe, Palatij Apostolici, Basilicæ Lateranensis, in acie Campi Floræ, nécnon ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, dimissis ibidem in omnibus, & singulis supradictis locis respectiuè, præsentium retroscriptarum literarum copiis (vt moris est) affixis, per Nos Bernardinum Andreutium, & Iulium Patinum, prælibati Sanctiss. D. N PP. & Sanctæ Apostolicæ Sedis Cursores.

Philibertus Chapuis Magister Cursorũ

BVLLA CONFIRMATIONIS IVRISDICTIONIS, ET FACVLTATVM

DD. MAGISTRORVM VIARVM, CVM pluribus aliarum Bullarum declarationibus, ac ampliationibus, ad vtilitatem, & decorem Almæ Vrbis.

SVMMARIVM

In .§.1. Confirmatio Literarum Sixti, & Leonis summorum Pontificum, super ædificijs, etiam si in aliqua ipsarum parte in vsu nõ essent.

In .§.2. Elusores per Sẽtentiam à 20. annis citrà ad fabricandum condemnati, perficiant infrà semestre, etiam cum remedio pœnarum, & pro eodem precio nihilominus primis dominis ad retrouendendum astringi possunt.

In .§.3. Intimatio de uendendo vicinis, an, quando, & quomodo fiat, et an sit necessaria?

Intimatione non facta annus à die scientiæ ad prescribendum assignatur.
Scientia vēditionis factæ per vicinum, generalis sufficit, licet qualitates ignorentur.
Concurrente vicino & inquilino, vicinus præferatur.
Instrumēta simulata præsertim circa preciū, nullius esse momēti.

In .§.4. Confirmatio priuilegiorum & facultatum Officij Magistrorum viarum, & nominatim eiusdem Motus proprij Pauli Papæ iii.
Sensus dubius omnium literarum officium prædictum concernens, semper in fauorem & Vrbis ornatum capiatur, easq; fauorabiles esse, & non odiosas declaratur, & in .§ 21.

In .§.5. Extentio literarum Sixti in venditione domorum, & locorum, vt inteligantur ēt in habitatis per dominos, si tamen à duabus partibus cohereant, & valorem loci vicini in quadruplo excedant, etiam si Monasteriorū, Ecclesiarum, & Piorum locorum fuerint, quæ contigua eis non forent.

In .§.6. Extentio prædictarum literarum ad Casalena, vt si plures consortes fuerint in re, ad resarciēdum, seu vendendum alter alteri conpellatur qui fabricare voluerit.
Consortes in prædictis casalensis fabricare nolentes, vicinis vendere tenentur, & contrauenientes ēt in caducitatis & alias pœnas incurrant.

In .§.7. Nouæ ordinationes, & statuta.
Quòd domus incisæ, casalena, & situs, vel illæ pro viis seu plateis incidendæ infra semestre, cum prorogatione arbitrio Magistratus, & saltim muro claudantur.
Domini locorum prædictorum suis inquilinis inpensionibus domorum conpensare tenentur, si inquilini sic fabricauerint, ad quod saltim vsq; ad primum solare ædificare tenentur.
Domini domorum pro plateis cuiujs incisarum, easq; habitantes etin habitatione damnum patientes possunt (qui fabricauerint) vicinas domos vendicare, etiam si per dominos non fabricantes habitarentur.

In .§.8. Situs propè vias nuncupatas de Populo, de Portugallo, Sanctissimæ Trinitatis, & Piæ, absq; domibus seu muris existentes, ēt per Camerarium & viarum Magistros prò fabricatione domorū seu murorum prædictorum Vendi posint, nisi infra semestre domini ibidem domos seu muros construxerint, preciumq; dominis cōsignandum ad effectum prædictum.

In .§.9. Viculi duorum, vel trium palmorum tollantur in Vrbe, & qui ex vicinis prior fabricauerit de Magistratus licentia eos sibi vendicare posit.

In.§. 10. Clauichettæ, siccatoria, & simil. in Vias publicas seu vicos respondentes infra sex menses tollantur.
Inquilini ad computum pensionum domorum prædicta facere tenentur, dominis domorum prædictarum inuitis.

In.§.11. Derogatio fideicommissorum si loca eis fuerint subiecta, pecuniæq; in alijs bonis stabilibus inuestiātur, quæ eidē fideicōmisso sint subiecta, sicuti bona adiudicata antea fuerant.

In.§.12.

In.§.12. Canneta infra sex menses tollantur in Vrbe, & extra per centum quinquaginta cannarum distantiam, nisi fuerint in locis abscon-ditis, ac extra vias publiscas per 20. cannas, tollanturq; in via Angelica, Pontis Milij versus flumen, & ad culturam reducantur.
Horti existentes in loco qui in pratis dicitur (exceptiscardorum hortis) tollantur, sub caducitatis quo ad dominos, et exilij pœnis, ac bonorum confiscationis quo ad colonos, seu affictuarios.

In.§.13. Scalæ vulgariter nnncupatæ à bastoni, tollantur in Vrbe, nec in futurum fiant.

In.§.14. Bulla extenditur etiam ad vineas, & ad alia loca in suburbijs, si tamen solita sint locari, vicinoq; ab vno cohærentia sint, etiam si Monasteriorum Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum fuerint, non solita verò locari, si à duobus vel tribus lateribus, arbitrio Camerarii & Magistrorum viarum.
Habens casale rubrorum centũ, ab vnoq; latere alteri conuicino casali coherens rubra decem vendicet, si à duobus viginti, & si à tribus triginta; si verò summam centum excedat, ad eandem ratam procedatur.
Si quis aliquam linguam casalis in casali conuicino habuerit, quatenus dicta lingua incorporata existat, eam arbitrio Magistratus pro precio extimando & aucta decima parte vendicet.

In.§.15. Scalæ per quas domos ascenduntur in viis publicis, & curritoria seu meniana extra muros domorum existentia, infra annũ tollantur, inquiliniq; ad id peragendum ad computum pensionis obstringantur, arrengheriis cum balaustis ferreis seu lapideis exceptis.
Porticus per dominos domorum infrà annum destruantur, nisi insignes fuerint, iudicio Magistratus iudicandæ, quæ verò pro Viarum dilatatione venient incidendæ, quousq; excidantur, tolerentur.

In.§.16. Dominis hortorum in Vrbe, ac locis habitatis non licere eos retinere cum sepe, sed muris circumdatos.
Pontes lignei per vias publicas extransuerso existentes, tollantur, arbitrio Magistratus.

In.§.17. Liceat cuilibet artifici vbi exercitium suum magis viget, arbitrio D. Camerarii & Magistrorum Viarum, pro eodem precio, alium de loco & apotheca expellere, si tamen domiuus loci non fuerit, vel nisi ad longum tempus, seu generationem conduxerit.

In.§.18. Ars candelariorum infrà mensem in locis arbitrio eorundem Camerarii & Magistrorum propè flumen (vt vaccinarii) collocetur, & artificibus in locationes aliis factas subintrare liceat.

In.§.19. Viæ lateribus seu cottis lapidibus sternentur, sublatis silicatis humiditatem reddentibus.

In.§.20. Viæ principales, præsertim intus & extra Vrbem, in via de Popolo per miliare, vtroq; larere per locorum dominos muris cingantur, ac arbitrio eorundem Camerarii & Magistrorum obstringantur, & pro celeriori expeditione ijdem Camerarius & Magistri loca prædicta in totum vel in parte, ad eundem effectumpro precio æxtimando vendere valeant.

In.§.21.

In.§.21, Difficultates & dubia in præſenti Bulla oriunda, arbitrio eorũdem interpretentur, atq; ſoluantur.

In.§.22. Viarum Magiſtri in cauſis pauimentorum viarum ſint meri Iudices, & niſi per actuale depoſitum parito iudicato, ad inſtar cauſarum mercedum reclamari non poſſit.

In.§.23 Muratores, omneſq; alij (in arte muratoria) ſubiaceant etiam viarum Magiſtris, nec attendatur alicuiuſ inhibitio, ſed inter D. Camerarium, DD. Vrbis Conſeruatores, & præfatos Magiſtros locus ſit præuentioni, ſalua DD. Clericorum Cameræ Apoſtolicæ auctoritate iuxtà Pauli Papæ iii allegatum Motum proprium.

In.§.24, Mandatum, de omnia ſupradicta ſeruando.

In.§.vlt. Omnia quæ Pont. in præſenti Bulla voluit non obſtare, deſcribuntur.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVOrum Dei, ad perpetuam Rei Memoriam.



INTER multiplices curas, quæ mentē noſtram vndequaq, ſolicitant, illi ſumma ope iampridem incumbendũ nobis eſſe ſtatuimus, vt Almam Vrbem noſtrã perpetuam vicarij Xp̄i, ſpiritualiſq; Imperij Sedem longè fœlicioribus, q̃ priſcũ illud temporale partũ fuerat, auſpicijs ſtabilitam, communemq; totius Xp̄ani Populi Patriam, ſicut bonis moribus, omniq; virtutum genere perornatam, ita tēplorũ, & aliarum tàm Sacrarũ, & publicarum, quàm priuatarum ædium, platearum, & viarum pulchritudine, Nec non murorum propugnaculorumq; firmitate decoratam, ac etiam pomerijs ſuis longè lateq; prolatis inſigniter ampliatã, cum Dominus huic noſtræ peregrinationi modum duxerit imponendum, relinquamus: & vt hæc votis noſtris reſpondeant, eorum curam, ſolicitudinemq; egregiorum Ciuium prudentiæ libenter cōmittimus, qui ſciant, velint, & valeant id muneris & diligenter amplexari, & fideliter exercere. Dudum ſiquidem fœlicis recordationis Sixtus Pp. iiij. prædeceſſor noſter, cupiens ipſius Vrbis decori, & venuſtati in ſuis

ſtructuris,

structuris, & ædificiis, ac ampliationi, & dilatationi consulere: Motu proprio, & ex certa scientia sua, ac de Apostolicę potestatis plenitudine perpetuò statuit, & ordinauit: quòd pro tempore existentes S. R. E. Camerarius, & Magistri ædificiorum, & Stratarum Vrbis, ad requisitionem dominorum quorumcunq; domorũ, quarum porticus, prosella, seu alia ædificia pro viis, seu plateis, & aliis locis publicis eiusdem Vrbis eatenus diruta fuerant, ac dirui contingeret: Et quandocunq; de mandato Magistrorum eorundem, si domini prædicti domos ipsas inhabitare soliti erant ante demolitionem, & tempore demolitionis huiusmodi factæ, & quam fieri cõtingeret in futurum, absq; dolo, & fraude inhabitabant, & imposterum inhabitarent: Et propter demolitionem huiusmodi iam factã, & quæ fieret domus effectæ essẽt, vel imposterum efficerentur pro eorundem dominorũ cõmoda receptione, & inhabitatione incapaces, essentq; iuxtà eas aliquæ domus per earũ dominos minimè inhabitari, sed pro earum annua responsione, vel aliàs locari solitæ, ex quarum coniunctione cum incapaci effecta domo huiusmodi domino illius aduersus incõmoditatẽ huiusmodi subueniri posset, tenerentur compellere dictarum domorum vicinarum dominos, etiã si ad Ecclesias, & Monasteria tàm virorum, q̃ mulierum, ordinum quorumcũq;, etiam exemptorum, Necnon Beneficia Ecclesiastica, Hospitalia, & alia pia loca pertinerent, ad eas vendendum dominis truncatarum domorũ, pro pretio per duos probos, & expertos viros per vtramq; partem eligendos determinando, & declarando. Si verò hi duo concordes in eodem precio assignando non essent, eo casu ipsi Camerarius, & Magistri, habito ipsorum dominorum Iudicio, precium imponerent, & assignarent. Et si forsan contingeret ex demolitione huiusmodi duas domos, sic per earum dominos inhabita-

tas,

tas,incōmodas modo præmiſſo effici, & inter eas aliam adeſſe domum locari ſolitam, quam vterq; dominus dictarū duarum domorum demolitionem paſſarum, & incapacium effectarum ſibi vēdi, & ſuæ domui incorporari poſtularet: Deberent Camerarius, & Magiſtri præfati illi ex eis venditionem huiuſmodi fieri mandare, quē magis indigere domo vēdenda exiſtimarēt. Et ſi ea forſan vterq; æqualiter indigeret, partem vni,& partēalteri, ſi cōmodè diuidi poſſet, vendi facerent, aut aliàs deſuper prouiderent, prout eis expedire videretur. Et ſi domos imminutas huiuſmodi domini ſui non habitarent, ſed eas locare ſoliti eſſent, liceret etiam tunc Camerario, & Magiſtris præfatis,ſi id peteretur per alterū dominorū domorum earumdem,dominū domus minus lęſæ,ad inſtantiam domini domus magis læſæ, ad emendum domū magis læſam; aut ſuam domino domus magis læſæ vendendum compellere, ſeu aliàs, prout eis videretur, prouidere, quòd ambæ domus ipſæ inutiles,& inhabitabiles non remanerent: & ſimiliter, prout eis videretur, prouiderent quoties domus ipſæ ſic vicinæ, & locari ſolitæ æqualiter læſæ,& incōmodæ effectæ forēt. Et ne ob proteruiam, & duritiam dominorum domorum, ſine quarum demolitione plateæ in eadem Vrbe neceſſarię,& vtiles,ad illius decorem de nouo ordinari, vel iam ordinatæ ampliari, & noua Palatia, nouæq; domus conſtrui, ſeu iam conſtructæ ampliari commodè nequirent,Platearum earundē ordinatio,& ampliatio, ac Palatiorum, & domorum de nouo conſtructio, ſeu reformatio retardarentur: poſſent,atq; deberent iidem Camerarius,& Magiſtri dominos domorum quarumlibet locari, non autem per ipſoſmet dominos inhabitari ſolitarum, Eccleſiaſticos, & ſeculares quacunq; dignitate fungentes cogere ad vendendum pro iuſto,& rationabili pretio, vt præmittitur ſtatuendo Conſeruatoribus,

ſeu

seu Syndicis eiusdem Vrbis domos, quas pro huiusmo di Plateis de nouo ordinandis, vel antiquis reformãdis, & ampliandis necessarias, & vtiles esse cognoscerent: idemq; facerent circà alias domos per earum dominos inhabitari minimè, sed locari solitas, quas vtiles, & ne cessarias esse putarẽt pro Palatiis, domibus seu aliis ædi ficiis tàm prophanis, q̃ Ecclesiasticis, in eadem Vrbe de nouo construendis, seu iã con structis ampliandis, ad in stantiam personarum habẽtium iuxtà illas domum, seu solum, aut alium locum, & volentium ibi de nouo do- mos, vel Palatia construere, seu iam constructa amplia re. Et si duo, seu plures in huiusmodi instantia concur rerent, ille cęteris pręferretur, cui domus, Platea, seu locus, de cuius venditione ageretur magis adiaceret, seu qui illo magis indigeret, & ex cuius ędificio plus de cori eiusdẽ Vrbis cõsuli spераretur: & si in omnibus pa ritas foret, liceret Camerario, & Magistris præfatis, ven ditionem huiusmodi pro parte vni, & pro parte alteri, aut vni ex eis in totum fieri mandare, prout eis videre tur. Volens quòd in singulis casibus pręd ictis, si illi, ad quos domus, & alia loca vendenda huiusmodi perti nerent, bisq; moniti, & requisiti per Camerarium, & Magistros præfatos cũ termino conuenienti eorum ar- bitrio moderando vendere recusarent, aut malitiosè differrent, Camerarius, & Magistri præfati, vice, & no mine illorũ sic recusantiũ, vel differentiũ venditionẽ hmõi facere cũ promissione, obligatione, pęnis, renun tiationibus, iuramẽto, pactis, & cautelis cõsuetis, & pre tiũ indè prouenies recipere, & penès ædẽ sacram, aut fide, & facultatibus idoneam personam deponere debe rent, dominis domus, aut alterius loci sic per eos pro tempore venditi, si venditionem ipsam ratam habere, & fideiussores de euictione præstare vellent, & non aliàs consignañ: haberentq; venditiones ipsæ, quas

 sic

ſic per Camerarium, & Magiſtros fieri contingeret, & traditiones locorum,& domorũ ſic venditorum plenam roboris firmitatem, & eoſdem omninò operarentur ef fectus, ac ſi per illos, ad quos illa tunc pertinebant, fa ctæ fuiſſent. Providerent quoq; iidem Camerarius, & Magiſtri, in caſibus, in quibus aliquos compelli contin geret ad vendendum proponentibus noua ædificia con ſtruere, ſeu iã conſtructa ampliare ſe velle, vt ipſi talia proponentes ante omnia ſe obligarent ad inchoãdum, & perficiendum huiuſmodi noua ædificia, modis, & for mis, ac infrà tempus, & ſub pœnis, de quibus ipſis Ca merario, & Magiſtris, perſonarum,& ædificiorum qua litate inſpecta videretur:& àb illis, qui ſic ſe obligaſſent, & pręmiſſa non adimplerent, pœnas exigerent memo ratas. Et nihilominus eos compellerẽt ad obſeruandum præmiſſa per eos, vel quas prius habitarent: & etiã pro pterea eis venditas domos aliis ædificare volentibus vẽ dendũ, pro iuſto, & rationabili precio, vt pręfertur, mo derando. Et quia interdũ contingebat, quòd habentes domos, ſiue domorum ſedimina, clauſtra, ſeu loca in ea dem Vrbe, & illa vendere volentes variis plerumq; mo- dis, & occaſionibus illa vendere recuſabant habentibus domos, ſedimina, clauſtra, & loca illis vicina, & non nunq̃ illa vendebant emulis eorundem vicinorum, ſeu perſonis eis parum gratis, quò fiebat, vt ipſi domo rum clauſtrorum, & ſediminum, ſeu aliorum locorum vicinorum domini illa emere volentes, & habere neque untes retraherentur perſæpè ab ædificatione de nouo in eorum ſediminibus, & locis vicinis, ac ab ampliandis domibus, quas inibi habebant, ſicq; decori eiuſdem Vr bis, aut ſaltem ipſorum vicinorum cõmoditati non pa rũ detrahebatur. Statuit etiam, & ordinauit idem Six tus predeceſſor, quòd pręfati ſic vendere volentes, tene rentur domos, ſedimina, clauſtra, Plateolas, & loca ve

nalia

nalia hmōi vēdēre habētibus domos, sedimina claustra, & loca alia illis cōtigua, pro iusto, & rationabili precio, per alios euidenter, & non ficte forsan oblato: & si illa aliisq; vicinis præfatis venderent, venditiones illæ quoad alios, qui ea emerent, & eorum cōmodum, nullius essent roboris, vel momenti, & haberentur pro infectis: deberentq; Camerarius, & Magistri præfati, ementem à possessione domus, sediminis, claustri, Plateolæ, seu alterius loci sic empti, absq; vlla tela iudicii vicino instante, & pretium rationabile offerente, & dicto emptori, si illud recipere, & emptioni per eum factæ renunciare, & ipsum vicinum iuxtà Camerarii, & Magistrorum præfatorum ordinationem cautum facere vellet, persoluendum deponente amouere, & ipsū vicinum in illius possessionem inducere, perindè ac si emptio ab ipso facta fuisset. Et si forsan essent duo vicini, quibus domus, claustrum, sedimen, Plateola, seu alius locus, de cuius venditione ageretur, vtilitatē, vel cōmoditatē afferre posset, ille ex eis præferri deberet in præmissis, quē Camerarius, & Magistri præfati cōsideratis circūstantiis vniuersis, venali domo, sedimine, claustro, solo, Plateola, seu alio loco magis indigere declararēt, Et si æqualiter indigerent, & pparte vni, & pro parte alteri posset exindè cōmoditas prouenire, vtriq; pportionabiliter cōcederetur. Si verò facta illius diuisione, portiones vtriusq, ferè inutiles essent, non diuideretur, Sed Camerarius, & Magistri, alteri eorundē vicinorū, quē vellent, illā, seu illud assignarent, Camerario in ecclesiasticas, & eo, ac Magistris præfatis in alias personas, Cum facultate, & pōtate vz. Camerario per censurā ecclesiasticā, & ipso, ac Magistris præfatis p pœnarū, & mulctarū impositionē, ac personalē districtionē, & alia Iuris remedia. Cōtradictores quoslibet, & rebelles cōpescendi, Exequutoribus desuper deputatis. Et successiuè piæ me.

Leo Papa x. etiã prædecessor noster cõsiderans quantũ
decoris, & dignitatis Vrbi, & Curiæ Romanæ supradi
ctis, in ædificiorũ, & prędiorũ ampliatione, & salubrioris
aeris, amænitate, & hominũ in omni virtutũ, & digni
tatũ genere Illustriũ copia, & cultu à tẽpore, quo Lite
ræ ipsius Sixti prædecessoris super pręmissis emanaue
rant, accesserat; Motu, scientia, & potestatis plenitudi
ne similibus, Literas Sixti iiii. huiusmodi cum omnibus
in eis contentis clausulis per suas literas approbauit, &
innouauit. Decernẽs eas in singulis partibus suis, etiã
in quibus fortè hactenus vsu receptę non fuerant, ab om
nibus perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obser
uari. Et nihilominus præfati Sixti prędecessoris vestigiis
inhærens, ipsorumq; Ciuium, & Curialium, ac aliorum
ædificare volentium cõmoditatibus prouidere cupiens;
inter alia, quoniam sicut acceperat, nonnulli ad habi
tandum domos, quibus illarum vicinos pro ornatu, &
ampliatione supradictis indigere conspiciebant, de no
uo se conferebant, vel illas instaurari, aut refici facie
bant, vt quod eis directo non licebat, hac saltẽ via obli
qua dictæ Vrbis decori, & vtilitati obuiarent, vel illa
augere desiderantes ad domos ipsas longè plus iusto
pretio emendum, necessitate compellerent, auctoritate
Apostolica prętata declarauit, omnes, & singulos, qui
postq̃ pro parte dictorum Magistrorum super suis do
mibus per eos tunc non habitatis pro cõmoditate, in il
lis, & apud illas ædificare volentium, vt præfertur, ven
dendis requisiti forent, etiam si domos vendendas huius
modi de nouo habitare, aut instaurari, vel refici (non
tamen à fundamentis) facere incœpissent, ad illas ven
dendum iuxtà dictarum Sixti prædecessoris Literarum
tenorem, perinde ac si ad eas de nouo habitandum se
nõ cõtulissẽt, illasuè restaurari, aut refici non fecissent:
per Camerariũ, & Magistros præfatos cogi, & compelli
posse

posse, atq; debere, tàm in præteritis, q̃ futuris. Et generaliter volens ea omnia, quæ per Sixtum prædecessorem præfatum super venditionibus, & diuisionibus domorum, arearum, siue Platearum intrà Vrbē consistentium, in fauorem personarum de nouo ædificare, aut constructa ædificia, & prędia ampliare volentium, ab inuitis dominis, seu etiam eorum nomine faciendis prouidè disposita fuerant, etiam extrà Vrbem in locis ab illa vltrà decem miliaria non distantibus, vicem sibi vendicare, & effectum sortiri debere, vbi, & quoties eisdem Camerario, & Magistris videretur vtilitati, vel ornatui publico expedire: aliasq; & alia tàm Sixtus, q̃ Leo prædecessores pręfati voluerunt, ordinarūt, statuerunt, concesserunt, indulserunt, mandarunt, decreuerūt, & disposuerunt, prout in singulis illorum literis pręfatis, quarum tenores, & datam, ac si de verbo ad verbū insererentur præsentibus pro expressis, & insertis haberi volumus, plenius continetur. NOS autem eiusdem Almæ Vrbis ornatui, ampliationi, decori, & pulchritudini, aerisq; salubritati non minus, q̃ ipsi prædecessores consuluerūt, quantum in nobis est, consulere, Et quemadmodum illam Ciuitatē nostrā Piā ampliauimus, mœnibusq;, ac propugnaculis muniuimus, eam quoq; vt munitā, ita etiam ornatam, ac speciosam reddere cupientes: eorundem prædecessorum vestigiis inhærēdo, similiter Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de pari potestatis plenitudine; singulas Sixti, & Leonis prędecessorum eorundem literas prædictas cum supradictis, ac etiam aliis omnibus, & singulis in eis cōtentis clausulis, ac inde sequuta quæcunq; Auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò confirmamus, approbamus, & innouamus. Decernentes easdem literas in omnibus, & singulis illarum partibus, etiam hìc non expressis, etiam in quibus forsan hactenus vsu receptæ non sunt, seu non

Primus §.

Confirmatio literarū Sixti, & Leonis, Sum. Pontificum, super ædificijs.

esse

esse dici possent, perpetuis futuris tẽporibus inuiolabiliter, & ad vnguem ab omnibus obseruari debere, ac omnes & singulos ad illarum obseruationem omninò teneri, efficaciter obligatos existere, & censeri, Ac ad id opportunis iuris, & facti remediis, etiã per censuras, & pœnas in eisdem literis appositas, & inflictas, cogi posse, & etiam debere. PRAETEREA cũ non sine animi nostri displicentia intellexerimus ea, quæ per præfatos predecessores in prænarratis literis pro publico Almę Vrbis cõmodo, & honore ordinata fuere, contrariũ sortiri effectum, Quandoquidem licèt iuxtà earum tenorem in prę missis, & forsan certis aliis ibi expressis casibus, Camerarius, & Magistri viarũ, qui pro tempore fuerunt, q̃ plures ad domos suas, vicinis se ibi ædificare velle dicentibus, seq; id facturos etiam cum obligatione promittentibus, vendendum coegerint, multi tamen emptores huiusmodi obligationibus per eos ad noua ædificia inchoandum, et perficiendum; seu iam constructa ampliandum, pactis, modis, et formis, ac sub pœnis in Sententiis Camerarii, & Magistrorum viarum, iuxtà formam dictarum literarum promulgatis contentis non obstantibus, postq̃ dictas domos antiquis dominis eiectis habuerunt, noua ædificia per se promissa facere, seu iam constructa ampliare non curarunt; memoratas prædecessorum præfatorum constitutiones, et antiquos domorum dominos simul eludendo, et pœnas præfatas damnabiliter incurrendo; indignitatibus huiusmodi, vt par est, prouidere volentes, eisdem auctoritate, et tenore statuimus, volumus, et ordinamus; vt qui infrà sex menses à die publicationis præsentium promissiones per eos à viginti Annis citrà factas, & in futurum faciendas, non adimpleuerint, ac propterea pœnas iuxtà formam dictarum Literarum incurrerint; manu Regia ad solutionem pœnarum huiusmodi per Camerarium,

Secundus .§.

Elusores cogãtur ad fabricandum, iuxta formam sententiæ contra eos latæ

um, & viarum Magiſtros præfatos cogātur, quarum pœnarum vna fabricæ, ſeu munitioni murorum Ciuitatis noſtrę Pię, & altera medietates Camerario, & viarum Magiſtris præfatis applicentur. Et nihilominus ipſi eluſores ad dictas domos pro eodemmet pretio, quo illas emerūt primis dominis retrouēdendum à Camerario, & Magiſtris præfatis cogi poſſint. ET quia pluries hactenus ſit in Literis Sixti prędeceſſoris huiuſmodi dubitatū, an domini vendere volentes deberent requirere vicinos ſuper venditionibus domorū, Plateolarum, ſediminum, ſituum, vel Caſalenorum, ipſis vicinis contiguorum ꝑ eoſdem dominos faciendis; ad obuiandum litibus, quæ ex hac cauſa deinceps oriri poſſent, hac noſtra perpetuò valitura ſanctione ſtatuimus, & ordinamus: vt in futurum ſiue vicinus requiſierit prius venditorem, ſeu vendere volentem ſuper vēditione domus, Plateolæ, ſediminis, ſitus, vel Caſaleni, ſiue non requiſierit: ſemper ad hoc vt venditio aliisq; vicinis facta, vel facienda valida ſit, ſuumq; ſortiatur effectum; venditor ſiue emptor domus huiuſmodi vicinum ipſo perſonaliter reperto, ſi haberi poterit, per vnum, Sin autem facta diligentia perſonaliter reperiri commodè non poterit, per duos ex Mandatariis, vel noſtris Curſoribus, domi dimiſſa copia, in abſente verò per edictum publicum requirere, vel requiri facere debeat, & teneatur, an ipſe vicinus velit domum venditam, ſeu venalem huiuſmodi pro pretio per dictum emptorem, ſeu emere volētem non vicinum verè, & non fictè oblato, ſoluto, aut promiſſo, & cum eiſdemmet pactis, & conuentionibus. Quaquidem requiſitione, ſeu intimatione per venditorem, ſeu emptorem ſic facta; ſi vicinus, aut vicini, ſi plures fuerint, intrà Quindecim dies non acceptauerint, & ſummam cum emptore, ſeu emere volente non vicino conuentam non promiſerint, & de fabricando ad certā ſummam

Tertius. §.

Intimatio de vidēdo vicinis, an quādo, & quomodo fiat, & neceſſaria ſit, & de ſciētia de re vendita, ac vicini & inquilini concurſu, & ſimulatione contractus.

summam arbitrio Magistrorum viarum sub certa pœna eisdem Magistris beneuisa se non obligauerint, & dein dè intrà alios Quindecim dies dictam summã realiter, & cùm effectu, si verè, & realiter in primo instrumento, vel contractu fuerit soluta, non soluerint, Et si nondũ fuerit soluta, omnia in eodem primo instrumento, vel contractu, aut obligatione, vel cõuentione contenta nõ adimpleuerint; tunc venditio aliis q̃ vicinis facta, vel facienda huiusmodi firma, & valida remaneat. Sin verò præfata intimatio modo quo suprà facta non fuerit, tunc vẽditio iuxtà præfatarum Sixti prędecessoris literarum formam, facta pro vicino intelligatur. Et si prædicta intimatio facta nõ fuerit, volumus quòd ad rescissionem primi instrumenti huiusmodi venditionis vnusquisq; vicinorum prædictorum semper, & quandocunq; admittatur, nec illi via sit pręclusa, nisi post annum à die scientiæ venditionis, quam scientiam declaramus, sufficere tantùm in generali, nempè scire rem fuisse venditam, etiam quòd pretium, & aliæ qualitates fuerint ignoratę. Et concurrentibus in cuiusuis, seu quorum vis domorum, Plateolarum, sediminum, situum, & caselenorum emptione inquilino, & vicino, ipse vicinus eidem inquilino, ac aliàs seruata præinsertarum literarum forma omninò semper præferatur, & præferri debeat. Et ad obuiandum simulationibus, & fictionibus, quæ plerũq; in similibus instrumentis venditionum, et forsan ad eludendum huiusmodi nostras, & nostrorum prædecessorum ordinationes, inter venditores, & emptores, præcipuè exprimendo maius pretium in instrumento, q̃ verè, & realiter sit solutum, vel conuentum intercedere consueuerunt; volumus, quòd venditiones, in quibus huiusmodi simulationes, præse rtim circà pretii quãtitatem interuenerint, omninò nullæ sint; & nihilominus tàm pretium per emptorem solutum, vel promissum, q̃ res

res sic vendita ad nos, & sedem apostolicam eo ipso deuoluatur, pro vna fabricæ Ciuitatis nostrę Pię, seu illius murorum, & pro altera medietatibus Camerario, & Magistris pręfatis irremissibiliter applicanda, prout ex nunc applicamus. ET insuper pro maiori Officii dilectorum filiorum Horatii Nari, & Hieronymi Pichi, modernorum, & successorum suorum pro tempore existentium Magistrorum viarũ dictæ Vrbis dignitate, simul & auctoritate: ac ad obuiandum cauillationibus, quæ in dies super eorum officio, & priuilegiis, ac facultatibus suis subinde emergere possent: omnia, & singula, ac quęcunq; Priuilegia, facultates, gratias, prærogatiuas, & indulta Magistris viarum Vrbis, eorũq; officio huiusmodi per pfatos, & quosuis alios Romanos Pontifices pręde cessores nostros, ac etiam per nos, & dictam Sedem hactenus quomodolibet, & specialiter per vnam Motus proprii schedulam à pię me. Paulo Pp. iii, similiter prædecessore nostro editã, incipientẽ, Inter alias innumerabiles, & graues, concessa; Inprimis, & ante omnia eisdẽ auctoritate, & tenore approbantes similiter perpetuò statuimus, ordinamus, decernimus, & declaramus, ꝙ quælibet pars, & clausula, siue constructio tàm supradictorũ per Sixtum, & Leonẽ, ac Paulum, ac quorũuis aliorũ ꝑ quoscũq; alios Romanos Põtifices prædecessores, & etiam respectiuè sucessores nostros, ac nos, & Sedem eandem editorum, & quandocunq; edendorum literarum, & etiam pari motu signatorum rescriptorũ, officiũ, & facultates Magistrorũ viarũ Vrbis huiusmodi quomodolibet concernentiũ, respicientiũ, sicubi sensus erit, vel videbitur esse dubius, semper in dictæ Vrbis fauorẽ, & ornatũ intelligatur, accipiatur, & interpretetur, ac intelligi, accipi, & interpretari, & ita à Camerario, & Magistris pręfatis in causis coram eis vertentibus iudicari, & diffiniri debeat; lusq; ipsum in literis, & rescriptis præ

Quartus. §.

Cõfirmatio priuilegiorum & facultatũ officii Magistrorum Viarũ.

D fatis,

fatis, ſi opus ſit, fauorabile, non autem odioſum, ſit, & eſſe cenſeatur, & etiam ad effectum præfatum caſus di catur comprehenſus, potius q̃ extenſus, quacunq; inter pretatione, ſenſu, intelligentia, opinione, aut alia re in contrarium quomodolibet faciente non obſtante. ET præterea ne fabricare, ſuaq; ædificia ad Vrbis ornatum ampliare volentes, propter loci defectum cum interdum domos vicinas, locari ſolitas: quas eis vigore literarum prædictarum emere liceat, non habeant, ſed domus ipſæ vicinæ à propriis illarũ dominis ſint habitatæ, à ſuo pro poſito abſtrahantur, & non poſſint propter ſitus caren tiam fabricas, & Palatia, ſiue domos, vt aiunt, requa- drare; ideo ſtatutum dicti Sixti prædeceſſoris ſuper do- morum locari ſolitarum dominis, ad illarum venditio- nem vicino ſeu vicinis fabricę, domumq; ſeu domos ſuas ampliare volentibus faciendam compellendis, ut præfertur æditam, ad quaſcunq; domos, hortos, terrena etiam per proprios eorum dominos inhabitari ſolita; caſu quo uidelicet uicinus Palatium, aut aliquam ma- gni momenti fabricam, domum, hortum, ſeu terrenum uicini à duobus lateribus ad minus circundantem, & do mus horti, uel terreni conuicini precium, ſeu ualorẽ quadruplo excedentem inchoauerit, ſeu inchoatum perficere uoluerit, etiam ſi tales domus, horti, & terre na quorumuis Monaſteriorum Eccleſiarum, uel Hoſpi talium, uel aliorum piorum locorum, extrà tamen ſepta Monaſteriorum, Eccleſiarum, aut piorum locorum hu iuſmodi, dictiſq; monaſteriis, & aliis locis piis minimè contigua exiſtãt; ita quòd Statutum Sixti huiuſmodi nõ ſolùm in locari, ſed etiam caſu prædicto in per proprios eorum dominos habitari ſolitis, domibus, hortis, & ter- renis locum omninò habeat, & ad unguem obſeruari debeat. Ac domini domorum, hortorum, & terrenorum ipſorum etiam per eos habitatorum, ad illorum uendi-

Quintus. §.

Extentio litera- rũ Sixti in uẽdi tione domorum & locorum, vt etiã in iis per dominos met habitatis locũ habeant, dum tamẽ quædam qualitates con currãt.

tionem uicino, seu uicinis huiusmodi fabricam cōstruere, seu perficere uolenti, seu uolentibus, & etiam in domo fabricanda, seu amplianda non habitantibus, nec habitare solitis, per Camerarium, & Magistros Viarum præfatos pro precio æstimando, & plus decima illius parte, & alias iuxta literarum Sixti, & Leonis huiusmodi formam, & tenorem faciendam arbitrio dictorum Camerarij, & Magistrorum, per eos etiam manu Regia cogi, & cōpelli possint. ET insuper idem Sixti prędecessoris Statutū ad Casalena per plures pro indiuiso possessa, & in maximum Vrbis detrimētum plerumq; diruta, vel discooperta: ita quòd ipsi omnes consortes eorundem Casalenorum possessores ad dicta Casalena restaurādum, & cooperiendum, ac inibi Magistrorum præfatorum arbitrio fabricandum, vel si, & prout eisdem Magistris melius videbitur, vno, vel pluribus ipsorum consortum fabricare volente, seu volentibus reliqui consortes fabricare volentes, vel differentes, ad suas portiones consorti, vel consortibus fabricare volenti, seu volentibus, ꝑ precio per peritos æstimando vendendū, & consors, seu consortes fabricare volens, seu volentes ad portiones prædictas emendum, aut si nullus ipsorum fabricare voluerit ipsi omnes ad dicta Casalena vicino, seu vicinis domorū contiguarum pro precio, vt pręfertur, æstimando vendendum, ac idem vicinus, seu vicini ad illa emēdū per Camerarium, & Magistros præfatos eorum arbitrio, etiam manu Regia sub pœnis sibi beneuisis respectiuè compelli possint. Et nihilominus contrauenientes caducitatis, & alias in pręsentibus appositas pœnas incurrant perpetuò extendimus, & ampliamus. ET, cum multæ viæ in eadem Vrbe iapridem de nouo inchoatæ imperfectæ remaneāt, ac in pluribus earundem viarum locis non solùm illæ domus, sed ne parietes quidem, seu muri constructi reperiantur, & va-

Sextus. §.

Extētio prædictarum literarū Sixti ad casalena, ita vt si plures cōsortes fuerint, ad resarciendum, seu vendendū alter alteri cōpellat.

Ordinationes Nouæ.

Septimus. §. Domus incisæ restaurētur, vel saltim muris claudantur.

riis in locis domus ad inuicem diuisæ distãtes separatæ, & truncatæ remaneant, in eiusdem Vrbis non modicã deformitatem, & locorum eorundem deturpationẽ, & (quod peius est) in dictis locis sic desertis, sordes, & immũditiæ passim proijciantur: Nos huiusmodi incõmodis obuiare cupientes, volumus, & ordinamus, vt in omnibus, & singulis huiusmodi locis vnusquisq; dominus, siue directus, siue vtilis in domo à se possessa, vel Casaleno sic truncata, vel truncato, aut in situ, vel solo, aut alio loco suo proprio, saltem muro, seu pariete claudere, illamq;, illud, vel illum infrà sex menses à die publicationis præsentium pro tempore faciendæ, In domibus verò de nouo incidendis pro viis, seu plateis cõstruendis, infrà sex menses à die integræ satisfactionis à Magistris, vel aliis ipsis dominis domorum factæ computandos, muris, seu parietibus, saltem vsq; ad primum solare, includere debeat, & teneatur sub pœna ad arbitrium eorundem Magistrorum viarum imponenda per quemlibet contrauenientem, eo ipso toties quoties contrauenerit incurrẽda. Et si loca ipsa sint censualia, siue emphyteotica, & Ecclesiis, Monasteriis, seu aliis locis, vel personis quibusuis respondentia, ipsa dictis sex mensibus elapsis, ad suos directos dominos cum eodem onere fabricandi, seu muro claudẽdi, dummodo si personæ Ecclesiasticæ sint, eorum liberationem, siue affrancationem iuxtà formam prædictarum Literarum faciendam non impedierint deuoluta sint, & esse censeantur: etiã si domus, situs, & Casalena prædicta sint Ecclesiarum, Monasteriorum, seu piorum locorum quorumcumq; Et ita per quoscunq; Iudices iudicari debere mandamus. Possint tamen dicti viarũ Magistri eundem terminum sex mensium pro qualitate locorum, & personarum, vbi eis videbitur, prorogare. Et nihilominus ex nunc quibusuis locorum præfatorũ inquilinis, seu affictuariis: ne

facta

facta prius ipsis simplici dictorum Magistrorum inhibi tione, locorum eorundem pensiones, vel census domi- nis suis sub pœna iterandæ solutionis persoluāt, sed eas, & eos etiam inuitis dominis, in expensis pro præmissis necessariis cōuertant; & muros ad dictam altitudinem, si sat erit, perficiant, donec, & quousq; in eisdem locis, vt præfertur, fabricatum fuerit; inhibemus pariter, & interdicimus; quòdq; deinceps domini conductoribus ipsis illas bonas facere teneantur: & in euentum contra uentionis, ac soluta per ipsos inquilinos, seu conducto- res pensione, & dicto pariete ad minus vsq; ad primum solare non perfecto, eosdem inquilinos, seu conducto- res de suo proprio ad dictam constructionem teneri, & obligatos esse, volumus, & etiam declaramus. Et cum in domibus ita incisis, siue de nouo incidendis earum do mini per nos ita sint grauati ad fabricandum, vel muro claudendum, vt præfertur ad minus vsq; ad primum so- lare, & multoties ipsi domini inhabitantes ex hac causa maximam recipiant incōmoditatem, cum ex ipsa inci sione domus ipsorum remaneant incōmodæ; idcirco in casu, & casibus pręfatis, vbi domus per dominos inhabi tatæ pro viis, seu Plateis construendis incisę fuerint, & sic incōmodæ effectæ, & resarcitæ, ibidemq; intrà sex menses, vel postea fabricatum fuerit; domos contiguas etiam per dominos inhabitatas, qui non fabricauerint præfatis dominis, qui fabricauerint sic domos incisas dominos præfatos vicinos, etiam habitantes, ad venden dum pro precio per duos peritos, & in euentum discor- diæ, per Magistros præfatos æxtimando & plus decima illius parte, vt pręfertur per Camerarium, & Magistros præfatos eorū arbitrio, etiam à tribus lateribus domos vicinorum nō circundantes, nec duplum, nec triplum in valore excedentes, manu Regia cōpelli posse volu

mus

Octauus §. mus, & etiam mandamus. CVMQVE tàm in de Populo,& de Portugallo,ac Sanctissimę Trinitatis,& Piæ nuncupatis, q̃ aliis dictæ Vrbis viis, q̃ plurimi situs, seu prædia reperiantur muris, domibusq; omninò vacui; quò fit, vt viæ ipsę lateribus sterni, seu pauimentari, & ad ornatum reduci nequeant; pariter sub pœnis præfatis volumus, statuimus, & ordinamus, quòd situum pręDictorum domini infrà eosdẽ sex mẽses in dictis sitibus, vel muros, vt pręfertur, vel ædificia construere, seu construi facere debeant, & teneantur. Ita quòd lapso sex mensium termino præfati Magistri viarum situs præfatos, in quibus, vt præfertur, fabricatum non fuerit, quibuscunq; personis, ac pro precio reperibili locare, & concedere; Seu, si Camerario,& Magistris ipsis melius videbitur, situs ipsos quibuscunq, personis pro precio huiusmodi in manibus eorum depositariorum ad effectum illud postmodum dominis dictorum situum consignandi, facta tamen per dominos præfatos ratificatione venditionis pręfatæ per Magistros factæ, & datis idoneis cautionibus in forma, iuxtà formam Statutorum Vrbis; deponendo vendere, & alienare liberè, & licitè, ac validè etiam possint ad effectum prædictum.

Situs propè Vias de Populo, de Portugallo, Sanctissimæ Trinitatis,& Piæ nũcupatas, pro fabricatione & muris construẽdis vendantur, si ibidẽ domini nõ fabricauerint.

Nonus §. ET quoniam in Alma Vrbe q̃ plurimi adsunt viculi latitudinis duorum vel trium palmorum, aut incircà, quibus variæ sordes & immunditiæ continuò iniiciuntur, & muri circuncirca existentes putrefactione corrupti, fœtorem cum pestiferi, & mali aeris generationem inducunt, adeo vt tẽpore procedente, dicti muri corruant,& collabantur,& collapsi eiiciantur, vt deinceps vnicus murus pro vtroq; latere domorum contiguarum inseruiat: sub eisdem pœnis, quòd de cætero nemo cuiuscunq; dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existens, in, vel super muris huiusmodi trabes, aut tigna, seu quid aliud apponere, caminos, vel quidpiam aliud construe-

Viculi duorum, vel trium palmorum tollantur in Vrbe.

re

re, vel murum dicti viculi eleuare, seu aliquod ibi ædificium fulcire, aut aliàs illis vti, vel inuti queat nec debeat. Muratoribus verò quibuscunq;, ne de cætero sub exilii à toto Statu Ecclesiastico & bonorum suorum confiscationis pœna, in dictis muris pro illarum reparatione, aut de nouo extinctione manum, & operam apponere, vel quicq̃ operis ibidem facere, seu fabricare audeant, vel prȩsumant. Et vlterius ad tollẽdos dictos muros, & viculos, volumus, quòd ille ex vicinis, qui primus voluerit fabricare, possit (habita tamen à prȩfatis Magistris licentia, etiã absq; alicuius precii solutione cuiq̃ facienda) eosdem viculos sibi assumere, appropriare, & vẽdicare, & super muro sui vicini tigna, lapides, cæmenta, & trabes, aliaq; ad fabricam suam necessaria apponere, suamq; fabricam desuper adaptare, & vt dicitur appodiare, & aliàs eodem muro cõmuniter cum vicino per eundem fabricare uolentem medietate dicti muri ad æxtimationem duorum peritorum per partes ipsas eligendorum, Et in euentum discordiæ per Magistros uiarum taxandi. ET quia q̃ plurimæ domus eiusdem Vrbis quasdam paruas habent Cloacas, Clauichectas vulgariter nũcupatas, in viis publicis respondẽtes, & ab ipsis domibus aquã, & immunditias in vias, & loca publica euomentes; quibuscunq; personis, vt infrà eosdem sex menses sub dictȩ caducitatis, & aliis pœnis prȩfatis tã Cloacas, q̃ etiã viculos prædictos, Necnon quascunq; latrinas, seu cãtaras, & siccatoria, vulgò sciaquatoria nuncupata, & piscinas in vias publicas, & vicos, seu viculos, aut Plateas exeuntes, & respondentes obstruere, Et si velint Cantaras in eorum Cortibus seu cortilibus, & cancis, non autem in, vel super viis publicis, seu plateis fabricare debeant; ita quòd inquilini domorum, & locorum huiusmodi præmissa ex pecuniis eorum pensionis etiam inuitis dominis, & contrà eorũ

Decimus. §. Clauichettæ, sic catoria, & simil. in Viis respondẽtes tollantur.

voluntatem

voluntatem facere possint; Et non facientes ad pœnam arbitrio præfatorum Magistrorum viarum imponendã teneantur. Et nihilominus omnes pensiones decursas, & præfatis dominis interim contrà inhibitionem eis faciendam solutas consignare teneãtur Depositario dicto rum Magistrorum viarum, ad effectum Cloacas, aliaq; præmissa claudendi, & cantaras, vt præfertur faciendi; inhibemus, præcipimus, atq; mãdamus. Et cum in via rum, quæ pro tempore fiunt, cõstructione, ordinatione, & ampliatione, ac in domorum, casalenorum, & situum; siue partium eorum applicatione, seu venditione, in om nibus casibus supradictis, & aliis quomodolibet ex cau sis prefatis occurrentibus, interdum fit necesse domorũ, seu locorum ad vsũ viarum huiusmodi incisorum, seu diuisorum partes remanentes adiudicare & multoties propter fideicommissa apposita dubitetur, ne lites, & controuersiæ oriantur; ad tollendum igitur litium mate riam, huiusmodi fideicommissã ad effectũ premissorum, ita tamen, quòd ea, quæ fideicommisso subiecta erunt, sic adiudicetur, quòd pretia illorum in tot bonis stabi libus reinuestiantur, quæ bona remaneant eidem fi deicommisso subiecta eodem modo, prout dicta bona sic adiudicata antea subiecta erãt, penitus & omninò tollimus, cassamus, & amouemus, illisq; ad hunc effectũ sufficienter, & expressè harum serie derogamus. E T

vndecimus.§.

Derogatio fidei commissorum, si loca eis fue rint subiecta.

Duodecimus.§.

Canneta tollãtur in Vrbe, ac extrà in quibusdã lo cis.

cum Vrbs psã ædificiis, & viridariis ornata, & splendida esse debeat, intus verò, & extrà, ac propè illam adsint q̃ plurima Canneta deformitatem Vrbi generãtia, aerisq; serenitatem, & salubritatem, ac clarum fluminis conspe ctum impedientia, & etiam malè agendi opportunita tem, locumq; subministrantia; quòd quicunq; tàm ex trà per Centum & quinquaginta Cannarum distantiã propè, q̃ intrà mœnia eiusdem Vrbis, Necnon etiam in Angelica, & versus flumen in Põtis Miluii viis nun

cupatis,

cupatis, ac per viginti Cannarum distantiam iuxtà quascunq; alias vias publicas Canneta habent; illa, ac omnia Canneta intus Vrbem existentia, præter ea, quæ sunt extrà vias publicas in locis absconditis seu remotis infrà præfatos sex menses sub pœnis prædictis sũditus extirpare, euellere, atq; tollere, ac ad terrenum, & culturam vinearum, seu viridariorum reducere debeant. Necnon cum Angelicam, ac Castelli nuncupatas vias per vineas, & prata ad maximum Ciuitatis nostræ Piæ per nos nouiter constructæ ornatum fecerimus, intellexerimusq; quòd nonnulli prata prædicta ad Canneta, vineas, ac hortos facienda impudenter claudere cogitant, Ideò quòd nullus imposterum, etiã si proprietarius existat, dicta prata ad alium vsum, preterq̃ ad pascua, fœnumq; colligẽdum destinare possit. Quiq; omnes, & quicunq;, qui ab eo tempore, quo diuina fauente clementia ad summi Apostolatus apicem assumpti fuimus, huiusmodi prata restrinxerunt, ac ibi vineas, Canneta, siue hortos fecerunt, ad illa in pristinum statum, nempè ad pratum, reducendum per Camerarium, & Viarum Magistros præfatos cogi, & compelli possint, & debeant, præcipimus, & ordinamus.

Horti qui irrigãtur in pratis tollãtur, & solum ad certũ vsum tollerentur.

Et similiter, quia horti propè Vrbem consistentem propter aquarum irrigationem malum, & pestiferum solent generare aerem, & maximè in Burgo nostro Sancti Petri, ac dicta Ciuitate nostra Pia, ad cuius ornamẽtum, decorem, & aeris salubritatem summoperè intendimus: Desiderantes igitur, vt quemadmodum dictã Ciuitatem Piam muris, & propugnaculis cinximus, & ab hostilibus offensionibus securam reddidimus, ita quoq; aeris salubritate non careat: statuimus, quòd omnes horti existentes in pratis extrà Portam Angelicam (exceptis dumtaxat cardorum vulgò carciofolorũ hortis, in quibus aquarũ irrigatio nullo modo fit)

E penitus

penitus tollantur, & aboleantur, ac ad vinearum, & pratorum vsum reducantur: sub caducitatis, quo ad dominos, & quo ad inquilinos, seu affictuarios, sub exilii, & bonorum confiscationis, aliisq; dictorum Magistrorũ viarũ arbitrio infligendis pœnis. ET QVONIAM in variis Almæ Vrbis locis viæ publicæ diuersis modis sunt impeditæ, & inter alia à certis scalis á Bastoni, vt vulgariter dicitur factis, quæ multis in locis vias publicas ferè per vnam cannam, & vltrà occupant, in maximum earundem viarum prҿiudicium, & obstaculum, adeò vt duo currus concurrentes commodè ꝑtrãsire nequeant: Idcirco sub prҿmissis, & aliis arbitrio Camerarii, & Magistrorum præfatorum imponendis pœnis districtè prҿcipiendo mandamus, vt imposterũ nemo quominus via pro duabus rhedis, Cochiis vulgariter nuncupatis, concurrentibus, lata, spaciosaq; remaneat, dictas scalas audeat ita componere sed tantummodo duos, vel tres palmos vltrà ianuam excedere: factas verò scalas prҿmissas ac dictos duos, vel tres palmos infrà eosdem sex menses sub similibus pœnis reducere, & restringere vnusquisq; debeat. Muratores autem ibi aliter operantes, exilii & bonorum confiscationis pœnas incurrere, & exoluere volumus. PRAETEREA cupientes non solùm ipsam Vrbem interiorem, sed etiam illius suburbia, & circuitum, ac vineas decorari; cum nobis innotuerit nonnullos, pulchras, & deliciosas vineas, ac possessiones facere, & ampliare volentes à vicinis illis Terrenum, aut vineas locari tamen, seu ad medietatem fructuum, vel aliàs dari, & concedi solitas, ad id vendere nolentibus impediri: p̄fatis Camerario, & viarum Magistris, vt quoscunq;, siue sæculares, siue Ecclesiasticos etiam si Monasteria quorumuis, etiam mendicantium ordinum, necnon Ecclesiæ, hospitalia, aut alia pia loca fuerint, Terrena, vineas,

Decimus tertius. ·§· Scalæ uulgariter nuncupatæ a bastoni tollãtur in Vrbe, nec in futurũ fiant.

Decimus quartus. ·§· Bulla extenditur etiam ad uineas in suburbis, & qualiter in casalibus.

neas, aut canneta locari tamen, aut ad medietatem fru ctuum, vel aliàs, vt suprà dari solita, ab vna, non solita verò locari à tribus, seu duabus partibus circundata. extrà tamen septa Monasteriorum eorundem habentes vel habentia; ad illorum in toto, vel parte, etiam pro vialium directura, & accomodatione facienda, arbitrio dictorum Camerarii, & Magistrorum venditionem vicinis illa sic circundantibus, & ampliare volétibus pro iusto & rationabili precio per duos peritos per partes eligendos: & in euentum discordiæ, per præfatos Magistros, habita dictorum electorum relatione, æstiman do faciendam, etiam manu Regia cogere possint, & debeant, etiam si loca ipsa non sint vel fuerint locari solita, & absq; vlla difficultate id etiã procedere volumus in vinea, canneto, vel terreno sic conuicino, vbi domus commoda pro domini habitatione non fuerit; cõ cedimus, & ordinamus. Necnon huiusmodi nostram ordinationem non solùm ad vineas, sed etiam ad casa lia intrà duodecim miliaria ab vrbe consistentia, ad dictæ Vrbis ornatum, & commoditatem dominorum ca salium extendimus, ac extendi debere præcipimus, & mandamus. Cumq; intellexerimus, multa casalia magnæ quantitatis Rubrorum habere incorporata nõnul la terrarum portiones, aut petia modicę quantitatis Pe dichę vulgariter nominata: volumus etiam, & ordina mus, vt quicunq; casale habuerit Centum Rubrorum, aut minus, & hoc maximè vbi aliquod nobile, siue cõmodum ædificium pro habitatione existat, & aliquam pedicham vicinam, & contiguam habeat; si ab vno la tere tantùm rubra Centum, decem, & si à duobus, viginti, si à tribus, triginta, & si casale excedat summam Centum, ad dictam ratam, vt suprà; Et si aliquod etiã multorum Rubrorum casale in alio incorporatum existat, videlicet cum aliqua lingua, quatenus dicta lingua

Decimus quintus. ·§·
Scalæ existẽtes in uiis publicis per quas, domus ascedũtur ac curritoria seu meniana extra muros domorum tollantur, arrengheriis cũ balaustis ferreis, & lapideis exceptis.

sit incorporata, illam sibi arbitrio dictorum Camerarii & Magistrorum pro pretio per peritos æstimando, & aucta decima parte pluris vendicare possit. ET INSVPER eisdem viarum Magistris, vt quoscunq; ad scalas quaslibet extrà domos, & in viis, seu Plateis publicis existentes, quarum præsertim in Regionibus Trãstyberinis, & Triuii maxima adest copia, & quæ vias publicas non parùm impediunt, & occupant; Necnon ad mæniana, aliàs Curritoria lignea, mignani vulgo nũcupata, extrà muros domorum multum, vel modicum se porrigentia, & eminentia in vias publicas prospectũ habentia, infrà annum à die publicationis præsentium destruendum, & tollendum arbitrio Camerarii, & Magistrorum eorundem cogere, & compellere. Necnon domorum inquilinis, vt pensiones per eos pro tempore debitas etiam inuitis dominis retinere, & in expensas pro destructione scalarum, & Curritoriorum huiusmodi necessarias, absq; eo quòd ad iteratam dominis suis solutionem teneantur, conuertere valeant, & debeant. Quinimo inquilini ipsi dictas pensiones, donec scalæ, & Curritoria huiusmodi ablata fuerint, post simplicem inhibitionem eis faciẽdam suis dominis sub pœna solutionis dictis Magistris viarum iterato faciendæ nullatenus persoluere possint, quòd tamen vnicuiq; ferrea, seu lapidea mœniana, quæ vulgo Arengherias, aut Balaustos vocant, habere liceat impunè permittentes. Quòdq; quilibet infrà annum prædictum suas porticus seu porticalia penitus, & omninò destruere, & demoliri, aut muris claudere habeant; Dummodo porticus ipsæ non sint modernę, & insignes, iudicandæ & dinoscẽdæ iudicio eorundem Magistrorum viarum. Illæ verò porticus, quę pro viarum dilatatione incidendæ erunt ita manere tollerentur, quousq; per præfatos viarũ Magistros excisę fuerint. ET PRAETEREA, ꝙ inter

Porticus destruantur, nisi insignes fuerint; iudicio Magistrorum iudicãdæ, quæ vero pro viarum dilatationè erunt incidẽdæ tollerẽtur.
Decimus sextus. ·§·

ter casamenta, seu in locis eiusdem Vrbis habitatis nō liceat cuiq; habere hortos, seu viridaria sepibus conclusa, sed illorum domini sub pęnis prædictis illa muris circundare teneantur. Omnesq; pontes lignei per vias publicas transuersi cum situm publicum occupent, & dictæ Vrbis ornatum offendant, infrà eiusdem anni terminum, exceptis tantùm illis, qui non in principalibus sed transuersalibus viis, aut in viculis consistentes visū, & lucem non impediunt, iudicio eorundem Magistrorum dinoscendis. Et vlterius omnes pontelli in quibusuis domibus ruinosis in viis, siue Plateis existentes, infrà sex menses à die publicationis præsentium per illorum respectiuè dominos, seu inquilinos sub pœnis præmissis omninò tollantur, & auferantur, auferriq; debeant. ET QVONIAM ad dictæ Vrbis decorem, & ornatum non parùm cederet, si vnaquæq; Ars ab aliis artibus separata, & in vnum collecta, ac vnita suis loco, & ordine collocaretur; Et præcipuè illa, quæ ad victum sic sparsa non est necessaria, cùm artifices ipsius Vrbis quasi absq; vlla distinctione inuicem cōfusi, absq; maxima ordinis pturbatione, ornatusq;, & decoris publici præiudicio habitare noscantur; qui quorumq; tabernæ, & officinæ, si in suis quiq; locis, & vicis segregatis ordinarentur, tàm Vrbis ornatui, q̃ etiam illorum commoditatibus non parùm consuleretur; vt omnis inter eos confusio amoueatur, & ipsi ab inuicem iuxtà species suas separati, in quantum poterit, decorem vrbi adferant, simul & commoditatem: Ideo quòd quoties, & postq̃ per Camerarium, & Magistros viarum huiusmodi Artium diuisio, & situatio statuta, & ordinata fuerit, quicunq; artifex cuiuscunq; artis & exercitii in aliquo vico, via, aut Platea dictę Vrbis, vbi suę artis exercitium magis vigeat, & constitutum fuerit, vt præfertur, habitare voluerit: possit quemcunq; alium cuiuscunq;

Non licere in vrbe in loco habitato hortos cum sepe retinere, sed muris circundatos tollāturq; pontes lignei p vias publicas transuersi, arbitrio magistratus.

Decimus septimus §. Diuisio Artificum exercitiorumq; in Vrbe quomodo fiat.

iuſcunq; alterius à ſuo diuerſi exercitii artificem inibi commorantem, ſeu commorari volentem expellere, & eiicere, ac expelli, & eiici facere, & in illius locationes, dummodo ad longum tempus, ſeu ad vitam, vel generationem non ſint factas, ſubintrare pro eodemmet precio, data tamen cautione de exercendo dictam ſuam artem in dicto loco ad minus per annum, & vltrà arbitrio Camerarii, & Magiſtrorum viarum pręfatorũ, exceptis tamẽ ſemper dominis in propriis domibus habitantibus; & ad euitandas controuerſias, poſſint ipſi Camerarius, & viarũ Magiſtri ſemper, & quandocũq; arbitrio ſuo decernere, & declarare, quę ars in vno loco magis vigeat, quàm altera, ac etiam artifici inquilino ſic pro tempore expellendo vnius menſis, aut lõgiorem ipſis Magiſtris beneuiſum terminum ad euacuandum pręfigere. Et inſuper fines, limites, & vicos, infrà quos vnaquęque ars, & illius artifices ſuo ordine ſtare, & conſiſtere debeant, conſtituere, & declarare: prout & quando eis videbitur, & placuerit, perpetuò ſtatuimus, mandamus, & ordinamus. ET QVIA aeris putrefactio non ſolùm ex malis humoribus, & immundiciis, ſed etiam ex malis odoribus, & fetoribus generatur: Sicq; ars Candelariorum diffuſa per Vrbem tetrum putorem reddens, multum noceat Ciuitati. Idcirco quemadmodum Artes vacinariorum, ſeu Coriariorum, necnon artificum chordas muſicales ex animalium fibris facientium malum reddentes odorem, ad fluminis Ripam ſeparatę reperiuntur; ita & dictam Cãdelariorum Artem, vt is putor exhalationem habeat, propè flumen ad Sixti ſiue Quatuor capitum, aut Sanctæ Mariæ nuncupatos Pontes, vbi Camerario, & viarum Magiſtris præfatis magis videbitur expedire, infrà menſem à die publicationis præſentium ſub confiſcationis omnium bonorum ipſorum Candelariorum, & aliis

Decimus octauus. ·§· Cãdelarij pro pe flumen vniti collocentur.

aliis etiam in eorum personam arbitrio Camerarii, & Magistrorum præfatorum infligendis pœnis reduci; ac in locationes aliis personis ibi factas prout eisdem Magistris videbitur, subintrare debere, volumus, & mandamus. ET QVONIAM vrbs ipsa nimium est humiditati subiecta, sicq; in certis partibus silicibus strata humidior efficiatur, Propterea omnibus, & singulis Muratoribus sub exilii, aliisq; pecuniariis, & etiam corporalibus dictorum Magistrorum arbitrio infligendis pœnis, dominis verò sub ducentorum ducatorum, vt præfertur applicandorum pœna, ne deinceps viam silicibus sternere, seu aliquas silicatas ante domos suas facere audeant, seu præsumant, inhibemus. Volumus autem, quòd omnes viç ipsius Vrbis coctilibus sternantur lateribus, vnà cum suis interlineis, quas guidas vocāt, piperino, Tiburtinis, aut siliceo lapide arbitrio dictorum Magistrorum, nec sint aliquo pacto interuisatç, sed in vnaquaq; via sint omnes guidç ex piperino, tiburtino, aut silico lapide. ET INSVPER præfatis Magistris viarum imperpetuum, & pro decore eiusdē Vrbis, ac structura viarum principalium, præsertim intus & extra Vrbem in via Flaminia de Populo nuncupata, infrà vnum miliare dominos vinearum, & aliarum possessionum viis ipsis contiguarum, ad muros, & alia pro dictarum viarum principalium structura, & decore, arbitrio Camerarii, & Magistrorum eorundem necessaria conficiendum, fabricandum, & resarciendum, vel ratam expensarum ipsos dominos, & quemlibet ipsorū pro prædictis, & eorum singulis respectiuè quomodolibet tangentem, soluendum, & seu depositandum, pro ut ipsis Magistris videbitur, Et si aliquis, vel aliqui dictorum dominorum muros construere, aut alia vt præfertur facere, vel dictam ratam soluere recusauerint, præfati viarū Magistri pro celeriori expeditione ipsos

Decimus nonus. §. Viæ, lateribus & nō siliciatis sternantur.

Vigesimus. §. Viæ principales præsertim intus, ac extrà Vrbem vtroq; latere muris cingantur.

dominos

dominos ſic renitentes, & moroſos ad ſuas vineas, ſiue poſſeſſiones in toto, vel parte alteri, ſeu aliis pro iuſto & rationabili precio, vt ſupradictum, eſt, ęſtimando, vendẽdum, etiam manu Regia cogere, & compellere.

Vigeſimus pri-mus. ·§· Dubia in hac Bulla arbitrio DD. Camerarii & Magiſtrorũ viarum ſoluenda.

A C A D tollendas diſputationes, iidem Camerarius, & Magiſtri viarum omnes, & ſingulas, ac quaſcunq; difficultates, & dubia, quæ ſuper præmiſſis, aliiſq; omnibus, & ſingulis in pręſentibus contentis, & deſcriptis, ac illorum ſenſu, intelligentia, vel ſignificatione oriri quandocunq; contigerit: interpretari, & diſſoluere arbitrio ſuo liberè, & licitè poſſint, & valeant, licentiam facultatem, poteſtatem, & auctoritatem omnimodam impartimur.

Vigeſimus ſe-cundus ..§. A Decretis Magiſtrorum viarum in certis caſibus nõ appellatur, niſi partito iudicato p depoſitum.

P R AETE R E A ſtatuimus, & de nouo etiam ordinamus, quòd in cauſa ſternendarum viarũ huiuſmodi præfati Magiſtri ſint meri Iudices, & exequutores, ac ab eorum decretis, & mandatis in hac parte, ſicuti in cauſa mercedis, non poſſit quoquomodo, niſi facto actualiter depoſito penes Notarium ipſorum Magiſtrorum in pecunia numerata conſignãdo poſtea actori, vel reſtituendo reo, prout deinde per Camerarium, ſeu viarum Præſidem, ad quem recurſum fuerit, eſſet, vel erit iudicatum, appellari, vel recurſus ad quẽpiam, etiam pro tempore exiſtẽtes Camerarium, Clericos, vel Præſidentes Cameræ Apoſtolicæ, aut quoslibet alios Iudices haberi: ſed mandata præfata exequutioni demandari debeant non obſtantibus quibuſcũq; ſignificationibus per prædictos, vel quoſcunq; alios forſan faciendis.

Vigeſimus tertius. ·§· Ars muratoria inter quoſcũq; vertens ſubiaceat etiam Viarũ Magiſtris, & habeat locũ præuentio.

E T V T eorundem Magiſtrorum viarum Officium in ſua auctoritate, & dignitate, prout decet, habeatur, illorumq; mandata diligentius exequutioni demandentur, & cauſę ſuper Arte muratoria pro tempore naſcentes ſagacius, & maturius veluti per expertos, & pro minori partium diſpendio decidantur, omnes, & quaſcunq; cauſas, lites, quæſtiones, controuerſias,

uerſias,

uersias,& differentias tàm inter quoscunq; muratores, & fornaciarios, q̃ eos, & quosuis alios Artifices, aut alias tàm Ecclesiasticas, q̃ sæculares personas super dicta Arte muratoria, & rebus ad illam quomodolibet ꝑtinentibus: ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, tàm actiuè, q̃ passiuè mouendas, cum omnibus, & singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, ac toto negotio principali per præfatos Horatium Narum, & Hieronymum Pichum, modernos, & pro tempore existẽtes Magistros viarum dictæ Almæ Vrbis, qui coniunctim procedere debeant, simpliciter, & de plano, ac sola facti veritate inspecta, etiam si, & quando eis videbitur sine strepitu & figura iudicii, nullaq; tela iudiciaria seruata, etiam manu Regia procedendo, audiendas, cognoscendas, decidendas, fineq; debito terminandas esse, & fore decernimus, volumus, statuimus, declaramus, & ordinamus. Non præiudicando tamen, nec derogando prædictarum Artium Consulatibus: ita tamen, quòd à Sẽtentiis ipsorum Consulum non possit ad aliquod aliud Tribunal appellari, nec recursus haberi, pręterq̃ ad Magistros viarum præfatos, & dictæ Vrbis Cõseruatores, seu Camerarium nostrum. Cum potestate citandi, & inhibendi quos, quibus, vbi, quando, & quoties opus fuerit, etiam per edictum publicum, constito summariè, & extraiudicialiter de non tuto accessu, vel absentia, aut latitatione, sub pecuniariis, aliisq; ipsorum Magistrorum viarum, & Conseruatorum respectiuè arbitrio imponendis, & moderandis pœnis, Et in euentum non paritionis, inobediẽtes pœnas ipsas incurrisse vnica tantùm citatione præuia, declarandi, & ab eis exigẽdi: dictasq; causas in quocunq; statu reassumendi, omniaq; alia, & singula desuper necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi,

 & exequendi:

& exequendi: ita tamen, quòd neq; Gubernator, neq; Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditor, neq; eiusdem Vrbis Senator, nec Præsidens Ripæ, seu Ripetæ, neq; præter tamen Camerarium nostrum dumtaxat, quicunq; alius, vel alii eiusdem Vrbis, vel extrà eā vbilibet constituti Iudices ordinarii, vel extraordinarii, delegati, vel subdelegati, aut quæuis aliæ personæ cuiuscunq; dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, etiam si Cardinalatus honore prę fulgeant, & etiam habeāt Priuilegia, vel indulta, quòd ipsi sint Iudices, vel Protectores aliquarum Societatū, vel locorum, etiam piorum, aut causarum illorum Auditores, quatenus ipsi viarum Magistri in causarum huiusmodi cognitione præuenerint: causas Artis muratoriæ huiusmodi nullatenus in toto, vel parte audire, cognoscere, decidere, seu se in illis quomodolibet, & quouis prętextu intromittere possint, neq; debeant: & quicquid secus factum fuerit, irritum sit, & innane, ac pro infecto habeatur: & per prædictos viarum Magistros, si præuenerint, vt præfertur, omninò reuocari quandocunq; possit. Saluo tamen, quòd Clerici, & Præsidentes Camerę Apostolicę se in huiusmodi causis iuxtà Pauli III. Literas prædictas dumtaxat, & non alias, intromittere possint, perpetuò committimus, & mādamus, ac eosdem Magistros viarum, causarum, & litium huiusmodi Iudices, & Executores speciales, & generales, ita quòd in eis, vt præfertur altè, & bassè procedere, & decidere valeant; constituimus, & deputamus: Saluo tamen recursu, si partes voluerint, ad ipsum Camerarium. MANDANTES propterea dilectis filiis Vitellotio Sanctæ Mariæ in uia lata, Diacono Cardinali Vitellio nuncupato, moderno, & pro tempore existenti Camerario, et Præsidentibus, et Clericis præfatis, quatenus statim uisis præsentibus nullo alio de super à nobis,

Vigesimus quartus. §. Mandatum de omnia supradicta seruando.

à nobis, uel successoribus nostris, aut dicta Sede, seu aliundecunq; expectato mandato, omni mora, dilatione, & contradictione cessantibus, easdem pręsentes in dicta Camera recipiant, & admittant, ac in illius libris registrari mandent, illasq; inuiolabiliter, & ad vnguē in omnibus, & per omnia perpetuò obseruent, ac ab omnibus, & singulis obseruari faciant realiter, & cum effectu, ac præsentes literas perpetuò durare, & valere perpetuiq; roboris firmitate subsistere, neq; de surreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, aut quòd pręmissa, & quodlibet præmissorum non fuerint vsu recepta, aut alio quocunq; vitio, seu etiam intentionis nostræ, vel eiusdem Sedis, aut quouis alio defectu notari, vel impugnari, neq; etiam per nos, vel successores nostros aut dictam Sedem reuocari, alterari, suspendi, modificari, aut illis in aliquo derogari vnq̃ posse. Sicq; in pręmissis omnibus, & singulis per quoscũq; Iudices, & Cōmissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & ipsius Ecclesię Romanę Cardinales, etiam Legatos de latere sublata eis quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari & diffiniri debere. Ac quicquid secus super hiis à quoq̃quauis auctoritate sciēter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus, & declaramus. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostieñ. & Portueñ. ac Tusculaneñ. Episcopis per Apostolica scripta Motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios pręsentes Literas, & in eis contenta quęcunq;, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem Magistrorum viarum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisq; in præmissis omnibus, & singulis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciāt auctoritate nostra eosdem viarum Magistros approbatione, confirmatione, innouatione, singulis Statutis,

 voluntatibus,

voluntatibus, ordinationibus, extensionibus, ampliationibus, mandatis, præceptis, inhibitionibus, interdictis, concessionibus, indultis, commissionibus, deputationibus decretis, declarationibus, reuocatione, alijsq; præmissis, iuxtà præsentium tenorem pacificè frui, & gaudere, Non permittentes eos, vel ab eis causam habentes per Camerarium, Pręsidentes, & Clericos pręfatos, aut quosuis alios quacunq; auctoritate fungentes, contra præmissa, vel eorum, aliquod quomodolibet indebite molestari, inquietari, vel perturbari. Contradictores quoslibet, inobedientes, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia Iuris opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo. Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachij Sæcularis. NON OBSTANTIBVS præmissis, ac certa per nos dudum Motu simili edita super pœnarum per elusores, qui fabricas pręmissas non fecerunt, neq; faciunt, incursarum applicatione impressioni librorum de ordine nostro à Ciuitate Venetiarū ad Vrbem traductæ facta, siue concessa, quam tenore præsentium, quo ad præmissa, omninò reuocamus: Ac etiam nostra de non tollendo Iure quæsito, necnon recolendæ memoriæ Pauli ii. & Pauli iiii. de rebus Ecclesiasticis non alienandis, ac alienatis recuperandis: Nec non Bonifacii viii. etam Romañ. Pontificum prædecessorum nostrorum, die vna, & duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate pręsentium ad iudicium non trahatur, necnon alijs quibusuis Apostolicis ac in generalibus, prouincialibus, & Synodalibus Cōciliis editis, & edendis, constitutionibus, & ordinationibus, ac Vrbis, & Curiæ Romanæ, ac Cameræ Apostolicæ, eiusdemq; Curiæ Tribunalium, ac quorumuis Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, & aliorū piorum locorum, necnon ordinum, Consulatuum, & societatum, ac

Vigesimus quintus, & vltimus §. Clausulæ, & alia non obstātia.

tatum,ac vniuersitatum,etiam Iuramēto,confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis,& consuetudinibus,stilis,vsibus,naturis,decretis, capitulis,& etiam nouis reformationibus, Legibus Pōtificijs,& Imperialibus, sacris Canonibus, Priuilegiis quoq;, indultis,& Literis Apostolicis, illis, illorumq; respectiue Populo,Ciuibus,Incolis,& Superioribus, ac tam,supranominatis, quā quibusuis aliis personis, & etiam Iudicibus Ecclesiasticis,& sæcularibus, sub quibuscunq; tenoribus,& formis,ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs,alijsq; efficacioribus, & insolitis Clausulis irritantibusq;,& decretis etiā motu, & scientia similibus,vel ad quorūuis instantiam in genere,& specie,ac etiam Consistorialiter, & aliàs quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis,& innouatis: Quibus omnibus,& singulis,etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus specialis,specifica;expressa, indiuidua, non autem per clausulas generales idem importātes, mentio,seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret: illorum tenores,formas,& decreta in eis apposita, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso,& forma in eis tradita obseruata,inserti forent præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permāsuris, hac vice dumtaxat, motu, & scientia similibus speciali ter, & expresse derogamus,ac sufficienter derogatum forè,& censeri volumus,& decernimus:Necnon omnibus illis,quę Sixtus,Leo,& Paulus iii. prædecessores p̄fati in eisdem suis Literis non obstare voluerunt,cōtrarijs quibuscunq;: Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum,ꝙ interdici,suspēdi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non faciētes plenam,& expressam, ac de verbo ad verbum

verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quia difficilè foret, præsentes ad singulaquæq; loca deferri: volumus, & etiam declaramus, quod illarum Transumptis, seu Sigillo munitis, eadem prorsus fides, etiam in Iudicio, adhibeatur, quę præsentibus, si vbicunq; forent exhibitę, vel ostensę, adhiberetur. Et ne quispiam vllo vnquam tempore præsentium ignorantiam prætendere possit; volumus, & eadem auctoritate decernimus, quód ipsæ præsentes Literæ in Cameræ Apostolicæ, & Curiæ Capitolii valuis, ac in Acie Campi Floræ de Vrbe, per aliquem ex Cursoribus nostris affixæ, copia illarum ibi dimissa, uniuersos, & singulos, quorum interest intrà mensem à die affixionis huiusmodi computandũ, perinde afficiant, ac si illis personaliter imtimatæ fuissent. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã nostrę confirmationis, approbationis, Innouationis, decreti, Statuti, ordinationis, applicationis, declarationis, extensionis, ampliationis, mandati, interdicti, ablationis, cassationis, amotionis, reuocationis, pręcepti, intẽtionis, permissionis, concessionis, inhibitionis, impartitionis, commissionis, constitutionis, deputationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemprare pręsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurũ. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dñicę Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Quinto, Decimo Kl. Septembris Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Cę. Glorierius.

H. Cumyn.

P. Episcopus Narnieñ. Sumista.

ANNO á Natiuitate Domini Millesimo quingẽtesimo sexagesimo Quinto, indictione octaua, Die vero Quinta Mensis Decẽbris, Põtificatus Sãctissimi in Christo patris, & D. N. D. Pii Diuina prouidentia Papę iiii. Anno Sexto, pręsentes Literę Apostolicę in quinternio foliorum in totum (conputato præsenti) triginta duorum publicè affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Camerę Apostolicæ, Curiæ Capitolii, & in acie Cãpi Floræ, dimissis ibidem in singulis locis pręfatis respectiuè, præsentium literarum copijs (vt moris est) affixis, ꝑ Nos Bernardinum Andreutium, & Iulium Parinum, prælibati Sanctiss. D.N.PP. & Apostolicę Sedis Curs.

Philibertus Chapuis Magister Cursorum.

